UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Tertio die Mercurij Quadragesimæ: Homilia Decimaqvinta. De ascensu Christi in Hierusalem, & filijs Zebedæi. Ascendens Iesus Hierosolymam assumpsit duodecim discipulos suos secreto & ait illis: Ecce ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

ſter vocatur: *Vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus*. Vos autem, meos eligo repetitores, tubos ac canales per quos doctrinæ flumina, quæ ex me vt primo ac originali fonte ſcaturiunt, defluant: vos aquæ ductus, qui verba mea ad aures hominum defertis: attamen ego ſum, qui ea viſceribus animæ firmius infigo, vires vt penetrent ad interiora cordium ſubminiſtro, in quibus ſolus ego efficaciter, ac intimè poſſum operari, ego qui hoc ago, vt in eis radicem ſeſeque gratia capiat cœleſtis, qua tandem, ea opitulante, ad gloriam tranſeant æuiternam, Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ DECIMÆQVINTÆ SEQVENTIS.

AD quatuor puncta reducitur hoc Euangelium. Primum: Argumentum à Chriſto diſcipulis ſuis propoſitum ſuæ paſſionis. Secundum: in quo Iacobus & Ioannes occaſionem ſumunt ex verbis Chriſti primas in regno eius ſedes requirendi. Tertium: quo eis Dominus reſpondet. Quartum: in quo decem reliqui his duobus indignantur, quos omnes Chriſtus & ſedat & docet. Quoad primum declaratur, quàm congruè Chriſtus agens de morte ſua, ſpecialiter commemoret dolores à ſe perferendos, tam ob id quod in eis eſt conſiderandum, quàm quòd paſſione
ſua noſtros illuminat oculos .*a*. ad rectè cœli viã car- *a* §.1.2.3
pendam. *b*. à qua aberrabant Iacobus & Ioannes .*c*. & ad amoris, quo feruebat, vim 4.5.
declarandam. *d*. Pariter exponitur, cur illi, *Conſummabuntur omnia*, adiungat, *de filio ho-* *b* §.6.7.
*minis*. *e*. vſuſque ſit verbo imperſonali *Tradetur*. *f*. ac qua ratione noui gratiam decla- *c* §.8.9.
ret teſtamenti, dicendo: *Tertia die reſurget*. *g*. Circa ſecundum oſtenditur, quomo- *d* §.10.11
do in ſua matriſque petitione errauerint Apoſtoli, qua mediante eam Chriſto ob- 12.13.
tulerunt. *h*. In Tertio patet quàm prudenter illis Chriſtus reſponderit, reiiciens illo- *e* §.14.
rum petitionem vt ſuperbam ac minus ſapientem .*i*. ac talis cenſetur, qui ambit præ- *f* §.15.
laturas *k*. cui proprium eſt audacter reſpondere *Poſſumus*. *l*. Quartum nobis propo- *g* §.16.
nit quàm bene Chriſtus dixerit non ad ſe ſpectare talia in regno ſuo loca conſigna- *h* §.17.18
re nec rationem ceteri habuerint indignationis, ſed nec nos ſcandali, licet aliquos *i* §.19.
in ſanctis defectus eſſe percipiamus. *m*. *k* §.20 21
*l* §.22.
*m* §.23.
24.

§.1. *Vtiliſſima eſt de Chriſto conſideratio, vt myrrhæ faſciculo, quem ſponſa cœleſtis inter vbera collocat.*

§.2. *Eſt Chriſtus lapis cœlatus à Deo, à ſæuis lapidicidis exſculptus, in quem oculi defigendi.*

§.3. *Multiplices fuere corporis Chriſti pœnæ, quia multæ fuerunt corporis peccati culpæ.*

§.4. *Cur Chriſtus dixerit mortem ſuam multis profuturam, cum pro omnibus ſit mortuus.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§.5. *In huius lapidis ſculptura, quiſque ſua inueniet peccata deſignata.*

§.6. *Eſt Chriſti paßio fel piſcis Calionymi, qui cæcos illuminet oculos.*

§.7. *Viam, quæ ducit Chriſtum ad gloriam, inſequi debemus: nec enim melior eſt Domino ſeruus.*

§.8. *In viam Iacobum & Ioannem reducit per calicem ſuum, hæc quippe eſt ſemita nubium.*

§.9. *Multò valet gloria, multo eſt labore comparanda, illo Sancti delectantur.*

§.10. *Tam feſtino gradu procedit Chriſtus, vt mirentur, & timeant Apoſtoli.*

§.11. Conſummabuntur omnia. *Paucis horis compleuit ea Saluator, quæ quinque mille annis erant delineata, illum namque amor excitabat.*

§.12. *Cunctas ſua paßione Chriſtus prophetias viuificauit, & miſcuit quaſi fermentum; fidei noſtræ maximè conueniens.*

§.13. *Chriſtus electrum, in ignem conuerſus ambulabat inter animalia, complens vaticinia prophetarum.*

§.14. De Filio hominis. *Quæ de ſe ſcripta erant, Chriſtus impleuit, ſupereſt, vt tu, quæ te tangunt, impleas ſicut Eliſeus.*

§.15. Tradetur. *Non ſignat Chriſtus, quis eum ſit traditurus, ob rationes notatu digniſſimas.*

§.16. *Oſtendit nobis Chriſtus in laboribus noui gratiam teſtamenti, qui cum præmio debent conſiderari.*

§.17. Tunc acceſſit. *Errarunt hi duo fratres quoad tempus, ſicut Baruch, in eo quoque quod vnam tantum partem attenderint propoſitionis, tu verò totam aſſume.*

§.18. Acceſſit mater. *Sui parentes obliuiſcuntur filiorum cauſâ, quod Salomon execrabatur.*

§.19. Neſcitis &c. *Superbia vitium ſtultum, homini alienum, vt alæ campanis, Deo execrabile.*

§.20. Neſcitis. *Stultitia imputatur, onera petere, ad ſedendum, vt ipſa regalis exprimit corona, & propinqua Elimelech.*

§.21. *Prælatura magnum onus, meritò fugiendum, ob ea multa ad quæ obligat, quæ mitra, ac Diui Gregorij dolor ſignificant.*

§.22. Poſſumus. *Dignitatis amore tument qui reſpondent* Poſſumus: *mendaces filij hominum in ſtateris; ſimiles elephanti.*

§.23. Non eſt meum. *Chriſto non conuenit ſedes ſuas dare ſuperbis, in alios mutentur viros, vt dixit Saüli Samuel.*

§.24. Indignati ſunt. *Non hoc te ſcandalizet, minimos in Dei ſeruis notare defectus, nullus enim ab his liber viuit.*

HOMI-

# HOMILIA XV.

## DE ASCENSV CHRISTI IN HIERVSALEM, ET FILIIS ZEBEDÆI.

### Tertio die Mercurij Quadrageſimæ.

*Aſcendens Ieſus Hieroſolymam aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam* &c. Matth.20.

1 VITÆ Chriſti commentariſta D. Matthæus proponit nobis congregationem à ſupremo rege Chriſto inſtitutam, eorum qui ſtatus ſui primi erant aſſeſſores, in qua eis rationem ſuæ reddit intentionis, operiſque iam nunc imminentis, cæli terræque regnis ſuis vtiliſſimi. Pro veteri conſuetudine ſolent monarchæ, dum inſigne facinus meditantur, vt pluribus diebus his inceſſere cogitationibus impliciti, Regni ſui conuocare proceres, ſuorum ſtatuum cogere conſiliarios, illis ſuam exponere facinoris intentionem, ne, dum illud aggrediuntur, aut commoueantur, aut perturbētur. Ita, teſtāte S. pagina Nabuchonoſor terræ Monarcha potentiſſimus, cum iam animo paucis ante diebus propoſuiſſet, arma regionibus inferre occidentis, vt cunctas eius ſibi pronuncias regnaque ſubiugaret: [Iudit.2.2] *Vocauit omnes maiores natu, omneſq́; duces & bellatores ſuos & habuit cum eis myſterium conſilij ſui, dixitq́; cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terrā ſuo ſubiugaret imperio.* Seorſum illos vocauit, & pectoris ſui arcana reuelauit: hoc enim ſignificat *Myſterium conſilij ſui.* Opus erat imprimis arduum, nec leuem adferens difficultatem, in arenam deſcendere, vt totum ſuo mundum ſubiugaret imperio. Potiori iure de Chriſto regum rege potentiſſimo liceat effari quòd particulare magnatum ſuorum cogeret conciliū: *Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò.* Turbâ plurimâ comitatus tendebat Hieroſolymam, duodecim ſuos ſegregat magnates ſeorſum, vt eis aperiat *Myſterium conſilij ſui,* pectoris arcanum, quod à tot millenis annis propoſuerat Iſaias ex tranſlatione Septuaginta quam ex profeſſo declarant D. Cyrill. Alex. a. & Theod. b. & Euſeb. [a In c.25. Iſa.] vocat *Conſilium tuum antiquū* illud tam ſecretum, quod nec oculus viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis aſcenderit, vt idem re- [b Lib.1. de demonſt. ad finem, & li.2.c.32.] ſtatur propheta, tam myſterioſum, vt de eo dicat Apoſtolus: *Myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis. Quod nemo Principum huius ſeculi cognouit.* [Iſa.25.5. Coloſſ.1.26. 1.Cor.2.7] Non illud regis Nabuchonoſor, bella ſuſcitandi, alios occidendi, vt ipſe viuat incolumis, non aliorum Principes regnorum euertendi, illoſque ſedibus exterminandi, vt ipſe omnium Dominus, ſed ſicut in illum omnes inſurgerent perduelles, interimerent homicidæ, verius Deicidæ, ita econtra omnes eius obtinerent regnum, pace, vitaque gauderent immortali: [Matt.20.26.] *Dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Qua ratione cunctis ſe ſubmitteret Principibus ſacerdotum, vt omnes principes, ac Domini ſimus in cæleſtibus. Aſſumpſi vos ſecretò Diſcipuli mei chariſſimi, vt regni mei optimates, quibus aperiam myſterium conſilij mei. Hoc vos ſcire velim: *Ecce aſcendimus Hieroſolymā, & filius hominis tradetur Principibus ſacerdotum,* & condemnabunt eum morte; & tradetur Gentibus & flagellabitur, & illudetur & conſpuetur, crucifigent & occident eum. Attamen hæc omnia in maximum regni mei cedent emolumentum: tertia enim die reſurrecturus in æternum regnabo glorioſus. O myſterium abſconditum, arcanum adeo, vt nec ipſi hoc caperent conſiliarij tam ab hominum ingeniis abſconditum, vt ipſe Lucas verba duplicarit, illud vt explicaret: [Luc.18.38] *Et ipſi nihil horū intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebunt, quæ dicebantur:* Nullū eſt ænigma adeo obſcurum, ac inuolutum, quàm illud fuerit Chriſti diſcipulis, vt tanta luce obcæcati, ſolis verbis inhærētes, quibus ſe Chriſtus

prædicebat regnaturum, tamquam paſſerculi nimia luce perculſi huc illucque ſeſe præcipites agant, vt quo, vel qua neſciant, & eorum duo Iacobus & Ioannes ad matrem confugerint, Chriſti itineris ſociam, cui illi hæc; Mater amantiſſima, modò tempus noſtræ fortunæ magis opportunum, quam noſter nobis innuit Magiſter, qui regno ſuo vicinus eſt poſſidendo, & modò dum proficiſcitur Hieruſalem eſt regnaturus; maximi intereſt, vt nemo nos præueniat(*a*). Vade, tibi etenim vt ſibi tam conſanguineæ negabit nihil, hoc ab eo poſtula, tibi concedat, vt in regno eius vnus ad dexterã, alter ad ſiniſtram cognati ſedeamus, vt quidquid qualibet manu decreuerit, per noſtram tranſire debeat. Filiorum ipſa conſilio obaudit, Chriſtum adit, libellũ offert ſupplicem. Chriſtus nõ illi, ſed conuerſus illis reſpondet: *Neſcitis quid petatis* obtenebrati. Aliud ego à vobis quæro. Poteſtis calicem meum & quidem amariſſimũ, felleum ebibere? De his agamus, non de dextera, neq; ſiniſtra: illæ quippe manus illis ſunt, quibus eas Pater meus præparauit, hæc non à carne & ſanguine dependent, nec ratione nituntur parentelæ, quam exparte matris, mecum habere vos agnoſco ex qua naturam ſumpſi generis humani, ſed ex diuina diſpoſitione Patris æterni, de quo ſecundum diuinam proceſſi naturam. Si duo illi fuerint obcæcati, non minus fuere & alij decem, qui duobus illis indignati, ex iam cognita ſedium prætenſione, grauem inter ſe quæſtionem excitarunt, quis eorũ videretur eſſe maior in regno cœlorum. Cõuocat omnes Chriſtus, planamque prælegit lectionem, vt illos reddat pacatos, vtroſque reprehẽdens. Adeſte filioli: Neſcitis inter huius mũdi Principes de primis cathedris, de præeminentioribus diſputari dignitatibus, deſiderari vt quis alteri imperet, optari plus ceteris æſtimari, ab omnibus ſeruitium recipere ſeruire nemini; quodque quo quis altius euehitur, pluribus imperet, ac plures habeat qui ſibi famulentur? Hic in domo mea talis non ſeruatur ordo, talis non docetur ſcientia: adhoc enim quis maior extollitur, vt ſeruiat humilior, hoc etenim ego Dñs & magiſter veſter profiteor, meoſque doceo diſcipulos, qui talis cũ ſim, non veni tamen miniſtrari, ſed miniſtrare, nec ad vitæ meæ cõſeruationem, mihi vitas aliorũ ſumo præſidio, quinimo & ipſam vitam meam pro aliis libens dabo redemptionem. Hoc nobis hodie proponitur myſterium. Quod ſi Apoſtoli ad plurium annorum terminum, qui Chriſti claſſem frequentarunt, hæc minus intellexerint, vſque dum illis Spiritus S. illaberetur, qui eos illuminaret; multò nos hæc minus capiemus, ſi diuinus ille illuminator nos ſuâ non dignetur gratiâ; eam igitur Angelorum Reginæ meritis ac interceſſione poſtulemus: eam ſalutantes. *Aue Maria*.

(a) *Gane por la mano.*

### §. I. *Vtiliſsima eſt conſideratio de Chriſto, vt myrrhæ faſciculo, quem ſponſa cæleſtis inter vbera collocat.*

PRudentiſſimum extollit melliflus doctor D. Bernard. ſponſæ facinus cœleſtis, quæ dilectum ſuum vt myrrhæ faſciculum cõpoſitum inter vbera locarat: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Familiare eſt puellis inter vbera gerere faſciculos, quibus ornentur, decorẽtur, & quorum odore reficiãtur, roſarum, violarum, caryophillorum: quinimo frequens erat præcipuis mulieribus Hieruſalẽ faſciculos cõponere ex auro, ac fragrãtiſſimis aromatibus, quales modo fiunt ex muſco, Zibetho &c. quos ex collo pẽdulos inter vbera collocabant, quibus venuſtæ, fragrantes ornatæq; procedebant, quos Iſaias vocat *Olfactoriola*. Gerant ait ſponſa cœleſtis, ſponſæ nuptæque terrenæ faſciculos tales, quales voluerũt, mihi non alius erit faſciculus quàm dilectus meus, & quidem faſciculus myrrhæ. Conſentiunt omnes, dilectũ ſponſæ, Chriſtum eſſe. Pluribus illum modis potes conſiderare qui omnes vtiles ſunt: eſt etenim animal illud ſanctum quod vidit Ezechiel plurium facierum: manna quoque eſt ſaporis dulciſſimi. Licet illum conſiderare vt Patris æterni ſinu recumbentem ab æterno genitum, æqualem per omnia Patri in Deitate, potentia, maieſtate, ſapientia, ab eo nihil diſcretũ. Similiter eum perpendere potes vt hominem factum inter virginalis brachia puerperæ Mariæ dormientem, materna vbera ſuauiter contorquentem, quæ meditatio deuotiſſima & amoris eſt incentiuum. Tuo quoq; intellectu illum contuere ſi lubet transfiguratum, gloria & honore coronatum, medium inter Eliam & Moyſen, ſpecioſum adeo forma præ filijs hominum, vt D. Petrus iudicarit, nihil præter hanc eius contemplationem amplius eſſe deſiderandum. Deinde contemplare illum prædicantem, miracula patrantem, peccatores recipientem, quod maxime ſolatur peccatores. illum intuere rediuiuũ, immortalẽ,

Ser.4[illegible] Cant. Cant.1.

Iſa.3…

Ezech.1.

cœlos

cœlos glorioſè conſcendentem , adeo viſu iu-
cundum, vt ſecum ſurſum trahat nedū oculos
Act.1.10. Apoſtolorū, ſed & corda , vt neceſſe fuerit duos
mitti cœlitus ſpiritus, qui eos ad propria dimit-
terent denique ad Dei Patris dexteram regnā-
tem: tam adſpectu gratum, vt oculos D.Stepha-
ni ſurſum attraxerit, cum in martyrio ſolatus ac
ſub lapidum imbre fatigatū roborarit, quinimo
ipſum iudicem venturum cum poteſtate magna
& maieſtate orbem iudicaturum vniuerſum, tā
Apoc.1.20 horribilem vt teſte D.Ioanne, ante faciem eius
fugiant cœli & terra. Meditationes omnes ma-
ximi profectus, quarum quædam his, aliæ aliis
conueniunt. Mihi vero , ponſa proteſtatur cœ-
leſtis, optimè quadrat ac ſapit dulcius, factus di-
ctus dilectus meus faſciculus myrrhæ , botrus
myrrhæ, hoc eſt faſciculus amaritudinum, do-
lorum, ærumnarum, illum contemplari captum,
ligatum ignominioſè de vno ad aliud tractum
tribunal, illuſum, conſputum, flagellatum, coro-
natum, os eius felle, myrrhaque potatum, ma-
nus pedeſque perforatos, apertum latus, linteo
inter amariſſimas myrrhas obuolutum.

Quā congruè illum deſcribit: *Faſciculus myr-
rhæ*. Totus factus eſt dolorum pœnarumq; cu-
Iſai.1.6. mulus: *A planta pedis, vſque ad verticē &c.* Hic
eſt ille faſciculus, qui mihi quadrat aptiùs , &
ſapit dulciùs: *Mihi*. Illum alij cōſiderent, vt pla-
cuerit, mihi verò hoc modo conuenit ſalubriùs,
pluriſque refert, proinde: *Inter vbera mea collo-
cabitur*, Quod inter vbera, mediumque geritur
pectoris, cōtinuò ante oculos voluitur hoc in-
nuit (teſte D.Bern.) cœleſtis ſponſa. Oculis illū
meis obiiciam ſpectaculum, vt in illum tendant
irreflexi: *Commorabitur*, id eſt fixam ei ſedem
ſtatuam: in Hebræo quippe legimus *Ialim* : id
eſt fixè, immobiliter perpetuò, noctu diuque. V-
bera animæ dico intellectum & voluntatē, inter
illa dilectum collocabo, vt eum ſemper & mens
ruminet intellectus, huic eius diſcurſus , eius a-
cumina impendantur, dicatque cum Apoſtolo:
1.Cor.2.2. *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi
Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.* In hoc vo-
I. luntas mea paſcatur qui tanta in mei pertulit ſa-
Myrrhæ lutem, & vitæ ſuæ diſpendio , mihi vitam me-
effectus. ruit ſempiternam. Myrrha à corruptione præ-
ſeruat, vermes fugat, conſumit putredinē, debilia
membra conſolidat, oculorū aciem exacuit, ca-
pita corroborat, vapores ex ſtomacho aſcendētes
reſoluit, qui caput perturbant & agitāt quaqua-
uerſū. Hoc in anima ille myrrhæ faſciculus o-
peratur, peccata cōſumit, à corruptione præſer-
uat luxuriæ, ad labores roborat, lucē infūdit cla-
riſſimā, quâ clarè Dei pateat in ſeruū miſericor-
dia & quā in filiū execu tioni mandauit ſeueriſſi-
ma iuſtitia. O quis huius myrrhæ mirabilis ef-
fectus: vidēte, quis, quæ, pro quo patitur. Idcirco
hoc ipſum ſuis proponit diſcipulis , & quidem
non ſtrictim ſed diligenter exacteque deſcribit.
Ex eo quod ſponſæ veſtigiis non inhæreamus ,
nec iſta inſpectiùs rimemur, hinc noſtra pro-
fluunt damna, animæque diſcrimina.

Expoſiturus Moyſes Iſraelitis, vnde tanta ſca- 3
turiant peccata, ingratitudines, ſeditiones, qui-
nimo & ipſius non tolerabilis irreuerentia, cau-
ſam horum aſſerit , quòd oculos ſuos non refle-
xerint , nec mirabilia magna cogitarint , quæ
Deus ſit operatus, vt eos de Ægyptiaca eriperet
ſeruitute, in eamque aſſereret libertatem , quâ
modo potiebantur , vnde illis iam morti proxi-
mus hæc ait: *Vos vidiſtis vniuerſa quæ fecit Do-* Deut.29.
*minus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, &c.* 2.
*portentaque ingentia, & non dedit vobis Dominus
cor intelligens , & oculos videntes.* q. d. Vidiſtis
portenta ingentia terribilia quæ fecit Dominus,
quando deſcendens apparuit in rubo, egit de ve-
ſtra libertate , prodigia faciens ſtupenda in cœ-
lo terra, aquis, piſcibus, animalibus, mari, ſigna
illa, quibus tantum auditis , infideles conturba-
bantur contremiſcebant & obrigeſcebant: *Tunc* Exod.15.
*conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab ob-* 15.
*tinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Cha-
naan*, Imo elapſis quadraginta annis idipſum
Raab meretrix confitetur , nec enim tantō tem-
poris interuallō etiamnum tremor ille conquie-
uerat: *Audiuimus quod ſiccauerit Dominus aquas* Ioſ.2. 10.
*maris rubri ad introitum veſtrum, quando egreſſi
eſtis de Ægypto, &c. Et audientes pertimuimus, &
elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus
ad introitum veſtrum.* Vos autem nec poſuiſtis
in præcordiis veſtris talia, nec Dei magnalia de-
fides attēdiſtis. Ea vidiſtis, vt alia ordinaria quo-
tidiana; ſolem v.g. mane oriri, lunam veſperi , a-
quam fluminis decurrere. herbas in campis ger-
minare: videre etenim hæc, eorumque mox ob-
liuiſci, idem reputatur. Hinc , nec attendiſtis,
quæ Deus pro vobis fecit prodigia magna ni-
mis , nec quam illi ſitis obſtricti, nec eius mag-
nitudinem potentiæ , nec gloriam maieſtatis,
nec cordis bonitatem, nec viſcerum ſuorum mi-
ſericordiam. Non fuit vobis *Cor intelligens*, quòd
tanta ſerutaretur mirabilia, nec oculos habuiſtis
illuminatos : *Oculos videntes* , qui talia portenta
fixius intuerentur. Quàm meliori iure hæc de
nobis fabula narratur. Vnde tanta in vobis in-
gratitudo , Dei contemptus, legum præuarica-

tio,ſeditio, eorum quæ ſcire tenemini, ignorantia, in Dei ſeruitio tanta ſocordia, ad gratiarum pro receptis beneficiis actionem negligentia tāta? Verum dico, vidiſtis mirabilia magna, portenta ingentia, ſtupendaque ſigna, quæ fecit vt vos de diaboli eriperet poteſtate, de peccato, de mortis faucibus incolumes. Euoluis ſcripta Euangeliſtarum, perpendis, quæ narrent Dei magnalia: quòd obſcuratus eſt ſol, luna lumen retraxit, ſtellæ caligine obuoluuntur, cœlum nubibus tegitur, terra tremit, rupes diffringuntur, imo & ipſa ſepulchra reſerantur, mortui reſurgunt ad vitam, de ſepulchris prodeunt, quaſi tantis excitati prodigiis, quæ Athenas vſque ac remotiſſimas Ægypti regiones penetrârunt, vbi ſubtiliſſimi philoſophi, & inter eos Apollophanes ac D. Dionyſius, horum tremore mirabilium obriguerunt. Illa fidei acie conſideraſtis, eo mo-
Gal. 3. 1. do, quo D. Paulus Galatis ſcribit: *Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus.* Attamen vt vulgaria quæquè hac vidiſtis: illa quippe videre, ac obliuiſci coniunguntur. Mentem non applicatis, corde non recogitatis iſta Dei portenta, obdurato Pharaoni meritò comparandi, de quo prima veritas: viſis tot pro-
Exo. 7. 23. digiis, ſigniſque admirādis: *Auertit ſe & ingreſſus eſt domum ſuam, nec appoſuit cor.* Non eſt qui ruminet, qui recogitet corde, fide viua, mente attenta quis, quæ, pro quo patiatur. Deus eſt æternus, qui cruce pendulus exſpirat, qui omnigenis pœnarum generibus iniuſtè dirèque cruciatur, vt amplius non ſit in vulnerato corpore vulneri locus, vt totus myrrhæ faſciculus componatur: idque miſerrimi ſerui gratiâ, ſeditioſi, fœdifragi, fugitiui, qui ne obolo quidem Deo valet. Hinc damna veſtra, hinc peſtiferi vapores,
Iſai. 13. 2. hinc fœda corruptio peccatorum: *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt*; plangit Dauid.

### §. 2. *Eſt Chriſtus lapis cælatus à Deo, à ſæuis lapidicidis exſculptus, in quem oculi defigendi.*

☞ 4 HÆc Dei portenta reuocant mihi in memoriam colloquium quoddam plenum myſteriis inter Deum & prophetam Zachariam, dum expreſſum, ac mirabile iurat promiſſum, filium ſuum in terras mittendi, qui pro cunctis mortem ſubiret peccatoribus. Curre ô propheta, vide Ieſū filium Ioſedech ſacerdotem magnum, dic illi, cunctos aduocet diſcipulos, & amicos: populus enim eſt ſerutans myſteria, ſignorumque ruminator diſcurrens, vnum alteri conferens ſingula perpendens, qui eò omnia ſua confert ſtudia, vt conſideret quid hoc, quidve illud ſignificet: vnico verbo: *Quia viri portendētes* Zach. 3.
*ſunt.* Ita D. Iſidorus exponit hoc verbum. *Por-* Li. 11. E-
*tentum.* Afficitur maximopere Deus illis (inquit tymol.
D. Gregor. Nyſſen.) qui viſis ſignis atque por- Tract. de
tentis non curſim ea tranſeunt, ſed oculis emiſ- infantib.
ſitiis ea perſcrutantur, nominatim autem opera qui im-
Dei quorum vel minimum maximam Dei re- mature
dolet ſapientiam, de quibus pſallit Dauid. *Om-* præripiun-
*nia in ſapientia feciſti.* Illi ſunt, qui mihi placent, tur.
ait Dominus, qui mea perpendunt mirabilia, Pſal. 103.
quocirca vnum illis hoc velim proponas, vt illud 24.
rimentur, in eo perſcrutando cunctas ſuas conferant cogitationes: habent enim cui intelligendo adlaborent. Quod hoc erit, quæſo, Domine? Cerne hunc lapidem. *Septem oculi ſuper lapidem vnum. Numerus ſeptenarius* (inquit Theodo- Theod.
ret.) *ſignificat multitudinem: nam in ſeptem diebus* q. 5. in
*voluitur totum tempus,* &c. Idem eſt lapis ſeptio- pri. Reg.
culus ac multioculus, ſeu plenioculus lapis oculatus quis talem vidit vnquam? hic inquis: Non plures habet oculos quàm lapis; grande portentum. Hunc ſumito lapidem, illi proponito, dicito: quòd ſculpendus ſit malleis ligneis, cæliis, aliiſque ſculpturæ inſtrumentis, in tantum vt ne remaneat quidem atomus, qui non expoliatur. Aduerte verò: *Ego cælabo ſculpturam eius.* Sumit metaphoram ab eximio artifice, qui lapidem figuris eminentiſſimis intendit expolire, ipſe cælat ſculpturam eius, deinde eum tradit famulis elaborandum. Talis erit hic lapis.

Et cælatus cum fuerit, in idem coincident, ſculpturam eius cælari, & auferri malitiā, mundiq́ue ſcelera emundari: *Ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* O portentum! huic nullum ſimile: ô ſignum obſtupendum, dicito illis, vt de illo ſubtilius inquirant, ei intelligendo ſuum impendant ingenium, extendant intellectum. Lapis hic Chriſtus eſt, hoc etenim ſigno ſæpius exponitur. Lapis plenus oculis. Primò: vt Diuinitatis in Chriſto ſignetur plenitudo: oculi namque apud omnes ſymbolum ſunt Diuinitatis, & numerus ſeptenarius multitudinem ſignat vniuerſalem: ita intelligit D. Paul. *In quo in-* Coloſ. 2. 9.
*habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Li. 83. q.
Opinatur D. Aug. per oculos indicari ſapientiam q. 51. &
Lapis plenus oculis plenus ſapientia, de quo fari de verbis
poſſit D. Paul. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ* Domini
*& ſcientiæ abſconditi.* Lapis hic cælandus erat à ſer. 11.
lapidicidis ſæuiſſimis Iudæis ac Gentibus, flagel- Coloſſ. 2. 3.

lis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tis, clauis, ſpinis, lanceâ, colaphis, ſputis, vt nulla foret in eo pars non elaborata. Chriſtum a pede cruce ſuſpenſum, nullum in eo membrum inuenies ſanum, integrum, tormentis pœnisque non excruciatum. Licet autem hæc videas altius agnoſce myſterium, hanc omnem à Deo fuiſſe ſignatam ſculpturam, vt nullum corpus eius atriuerit flagrum, nullus clauus, manus pedeſque perforarit, nec faciem ſaliua fœdauerit nec ictus vel minimus membra contuderit, quæ Deus in ſacris litteris non prænuntiarit vbi prophetarum calamo totam hanc ſculpturam præſignauit.

Perelegantet hoc Princeps dixit Apoſtolorum vbi agit de ſculptoribus crudeliſſimis, quomodo lapidem hunc elaborarint. Ne crederem (inquit) hos ſculptores, quodam fortunæ caſu, lapidem hunc exſculpſiſſe, nullam enim in eo exararunt ſculpturam, niſi quam Dei infinita ſapientia,

*Act.4.27.* magno conſilio fieri decreuerat: *Conuenerũt enim vere in ciuitate iſta, &c. Herodes & Pilatus, &c. facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* De quibus alias. Hoc eſt quod factũ fuit, quodque ipſe Chriſtus nobis exponit, vt ſermo hic hodie cum Apoſtolis habitus, ad huius myſterij declarationem tendere videatur: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c.* En ego, lapis, elaborandus, cuius omnem Deus ſculpturam per prophetas præmonſtrauit, reliquum eſt, vt manus operi adhibeant, hocque à modo fiet: tradetur enim ſculptorum poteſtati: *Tradetur Principibus ſacerdotum & ſcribis & condemnabunt eum morte & tradent eum gentibus*, vt ſignatas perfi-

*Ioan.19. 30.* ciant ſculpturas: *Ad illudendum & flagellandum, Et conſummabuntur omnia*, vt dicere poſſit: *Conſummatum eſt.* Hæcque duo coincident perfici lapidis ſculpturam, & mundi peccatum con-

*Dan. 9. 24.* ſummari: *Vt conſummetur præuaricatio, & finem accipit peccatum;* præfatur cui conſonat Apoſtolus: *Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.*

## §. 3 *Multiplices fuere corporis Chriſti pœnæ quia multæ fuerunt corporis peccati culpæ.*

☞ 5 INſuper & aliud profundiſſimum ſumus inuenturi myſterium, ſi ſeptenos huius lapidis oculos altius perſcrutemur; quo quædam aperitur à Patribus propoſita difficultas. Quid cauſæ ſit, cur Æternus voluerit Pater filiũ ſuum tam varij ſæuiſque cruciari doloribus, lapidem hunc tanto ſudore, imo ſanguine expoliri, tam inhumanis tradi lapicidis, qui vt hoſtes immaniſſimi, tot tolerandis eum exciperent, tundentemque verberibus? Cur ô Domine, tot vitro citroque traditiones: Principibus

I. Cur Chriſti paſſio tam amara.

ſacerdotum. Primatibus ſæcularibus, miniſtris Pontificum. Imperatorum regumque militibus. In quem finem tot irriſiones, ignominiæ, ſputa, verbera, flagella, claui, crux mors? Credunt omnes vel vnam Chriſti lachrimulam, toti mundo ſufficere redimendo. Imo, aſſumpta tantummodo noſtra humana natura. Patri poterat cœleſti pro totius mundi, adde & multorum millium Mundorum ſi fuiſſent peccatis culpiſque ſatisfieri. Ad quid igitur tot labores? Si languentis ſufficiat remedio vna in brachio venæ aperto, ad quid multiplicantur? ad quid & in altero? ad quid in manibus, in humeris? ad quid in capite cauteria? in pedibus fiſtulæ? Rationem

*Apolo.1.* aſſignat D. Gregori. Nazianze. quæ facilè capietur, ſi ſupponamus id quod Spiritus S. ait: Deum tam eſſe prouidum, vt cuique ſuum ſtatuerit oppoſitum: *Contra malum bonum. Et contra mortem vita & ita in omnibus operibus Altiſſimi: Vnum contra vnum duo contra duo, & nõ fecit quidquam deeſſe.* Tangit, vt Ariſtotelis quoddam axioma reor à Deo hunc mundum conſeruari per oppoſitionẽ contrariorum: quæ ſi deeſſent, omnia corruerent. Si ſolus eſſet ignis, hic omnia conſumeret; adſit ergo aqua ignẽ extinguẽs. Si ſit ſiccitas, ſit & humiditas; ſi frigus premat, laxet calor; ſi herbæ creſcant peſtiferæ, creſcant & medicinales; ſi mors ei vita opponatur, ſi infirmitas, hanc reparet valetudo. Hæc autẽ eſt (teſte D. Auguſtino) Diuinæ fortitudo potentiæ, quæ licet vna re poſſet omnibus ſuccurrere, noluit tamen, ſed hoc egit, vt cuique ſuum opponeret contrarium, quo mundi clarius pateret pulchritudo, rerumque ſtatus eſſet oculis longè gratior.

*Eccl.33. 15. & 42. 25.*

*Lib.2. de cœlo.*

*Lib.11. de ciui.c.18.*

Quod videmus, ac in naturæ ordine admiramur admiremur & in gratiæ ſtatu; quodque in mundi decreuit creatione, & in eius voluit ſeruari reparatione. Quid erat in mundo? Corpus quoddam peccati, ita culpis omnibus infectum, vt Iſaiæ dicere de eo licuerit: *A planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas.* In capite ſuperbia, in oculis auaritia, in lumbis luxuria, ita in corde, gula in ore, inuidia in pectore, in pedibus manibuſque acedia, ita peccatis vndequaque obſitum, vt nullum ſit membrum, quod in hoc aut illo ſuâ non inquinetur culpâ; corruptam autem tantopere plangit

*Iſai.1.6.*

carnem

Rom. 7. 18 carnem Apoſtolus, vt dicat: *Non eſt in carne mea*
*bonum*. Veniat Dei filius, deſtruat corpus pecca-
Rom. 6. 6. ti: *Vt deſtruatur corpus peccati.* Ad hoc, primò
contra corpus peccati, diabolico opere figuratũ,
ſuum opponit Spiritu S. virginem obumbrante
Hebr. 10. formatum: quod totum ſit ſanctum: *Corpus apta-*
ex pſal. *ſti mihi*. ait ille Patri cœleſti. Corpus aptum, cor-
39. pus particulare, vt corpori corpus opponatur,
pœniſque culpa compenſetur. Sicut in illo nulla
eſt ſine culpa pars in hoc nulla ſit ſine pœna.
*Vnum contra vnum duo contra duo.* Vt deſtrua-
tur ſuperbia caput ſit ſpinis coronatum, oculo-
rum concupiſcentiam extinguant lachrimæ o-
culorum, cogitationum vanitatem cruentum pur-
gent euulſiones, ſanent flagris humeri diſciſſi
inquinamenta luxuriæ; fel acetum, myrrhaque
gulæ ſoluant voluptates: clauis confixi pedes,
transfoſſæque manus manuum pedumque cu-
rent acediam, apertum lancea latus, pectoris
temperet inuidiam.

Hoc nobis dilucidè proponit facinus illud E-
liſei, tot fœtum myſteriis, vt cum ſemper mani-
bus teratur, ſcribaturque calamo, ſemper quaſi
cenſeatur nouum ex SS. Patrum declaratione.
Moriebatur capitis dolore filius hoſpitæ Pro-
phetæ ſolis ardoribus exuſtus plus nimio inge-
4. Reg. 40. miſcens: *Caput meum doleo, caput meum doleo.*
19. Ad meridiem, exſpirauit. Pedibus prouoluta ma-
ter Eliſei depoſcit auxilium qui vt illud impen-
deret, hoc primum exorditur: baculum ſuum
miniſtro tradit Giezi præcipit ocyus deſcendat,
illum ſuper defuncti imponat corpus. Puer non
reuiuiſcit; quare & ipſe deſcendere ſtatuit de
Carmelo propheta, vbi domicilium habebat; æ-
des ſubintrat, cubiculi claudit oſtium, in quo
mortuus extendebatur procedit ad lectum: *In-*
*cubuit ſuper puerum. poſuitque os ſuum ſuper os*
*eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus*
*ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum.*
At cum maioris eſſet propheta ſtaturæ puer ve-
rò paruulus ait bene S. pagina incuruauit ſe ſu-
per puerum, vt cum illo ſe commenſuraret, quo
factum eſt vt caro pueri recaleſceret. *Calefacta*
*eſt caro pueri.* Tum è lectulo proſilit: ac *Deam-*
*bulauit in domo ſemel huc atque illuc:* Ilico re-
uertitur, & denuò vt fecerat prius, ſe ſuper pue-
rum incuruauit aperuit autem puer oculos, ſur-
rexitque rediuiuus. Hanc vnam præ cæteris in
S. Scripturis admiror hiſtoriam: cur & in quẽ fi-
nem tot ſcriptæ circumſtantiæ? Si Deus prophe-
tæ proponat potentiam dare puſionem illum ad
vitam reuocandi, ad quid tot tamque inſoliti
agendi modi, vt prius deſcendat famulus baculo
vatis armatus, corpori defuncto eum imponat,
tum ipſe veniat, ſe extendat ſuper puerum ſemel
& bis, & inter has incuruationes per domum
huc illucque deambulet? Scire velim vt quid
ſe ſuper puerum incuruet, & hoc iterato? An
ſemel incuruaſſe non ſuffecerit? Cumque ex II.
priori incuruatione fuerit caro pueri cale- Allego-
facta, cur non totus viuus ſurrexerit? Quid ria.
opus tot rem narrari circumſtantiis, iiſque mi-
nimis, quòd dolore capitis torqueretur puer,
quòd meridie moreretur? Cum hæc vates ege-
rit Spiritus S. impulſu, & hoc quod ſcriptis exa-
ratum eſt, Deo ſit ſcriptum inſtigante, extra
controuerſiam eſt, quòd neque in eo quod actũ
eſt, quicquam fuerit aut vanum aut ſuperfluũ,
neque in eo quod ſcriptum, vel vnicum iota
myſterio vacuum, verum ergo eſt, quòd ita eat
myſteriis, & quidquid actum audiuimus, &
quidquid ſcriptum legimus: *Quod Eliſeus in pue-* D. Aug.
*ro præfigurauit, hoc in toto genere humano Chri-* Ser. 204
*ſtus impleuit.* D. Auguſtinus. temp.

Præfigurauit hic puer mortuus genus huma- To. 10.
num mortuum in Adam, in quo omnes moriun- 6
tur: mors autem inde proceſſit, quòd in capite
ſol feruentius exæſtuârit. En quàm aptè ſuper-
bum deſcribat deſiderium Diuinitatis, quod in
capite & Adæ exarſit præ emſione. Exarſit in eo,
*Eritis ſicut Dij.* Vnde amor e peccati corruit. Gen. 3.
Notat, quòd meridie exſpirarit: quia hæc eadem
ipſa fuit hora, qua de fructu vetito guſtans in
eum & per illum in omnes mors ſubintrauit: III.
*Per vnum hominem mors &c.* Ad eius remediũ, Eliſeus
primum miſit Deus fidelem ſibi famulũ Moy- Chriſti
ſen: hoc quippe nomine illum teſte Apoſtolo figuram
Deus inſigniuit, baculo legis inſtructum quam expreſſit.
manibus eius legem tradidit. Congruè baculus Hebr. 3.
vocatur, ſymbolum iuſtitiæ; ſignumque uppli-
cij: erat etenim illa ſtricta, ſeuera, Dei minax
ſuppliciorum. Intuere Moyſen baculo armatum
de monte deſcendentem, legis tabulis inſtru-
ctum, vt Giezi baculo, vt illum populo impo-
nat. Attamen hic vires non habuit puerum re-
ſuſcitandi. Grauis erat nimis, mortuum poterat
onerare non viuificare. En legem (aiunt D. Aug. a Ser. 204
a. & D. Grego b.) Quæ ſuo poterat onere gra- de temp.
uare laborioſo, de qua D. Pet. *Iugum, quod neque* & ſer. 11.
*patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Vitam de verb.
autem infundere, nequaquam, cum ad peccata Apoſ.
remittenda, gratiamque dandam in qua animæ b lib. 9.
vita conſiſtit, inueniretur imbecillis: *Non enim* Mor. 31.
*per legem iuſtitia* (ait Apoſtolus) *& ex operibus* Act. 15. 11
*legis non iuſtificabitur omnis caro.* Ad hunc finem Galat. 2.
ipſe deſcendat Eliſeus, quod interpretatum dici-
tur:

tur : *Dei ſalus*, vel *Deus ſaluans*. An aptius dari
poteſt, ac magis proprium Dei filio ſymbolum ?
De monte deſcendit Carmelo, de Patris accubi-
tu, in mundum, in domum intrat Abrahæ, eius
ſe includit cubiculo, in ventre filiæ ex familia
Abrahæ, virginis puriſſimæ, ibi ſe coniunxit ho-
mini, ipſe maximus, immenſus, æternus, glo-
rioſus, potens, diues, &c. Se ita homini con-
temperat, redditque per omnia ſimilem, vt verè
ſit homo puer mortalis, paſſibilis, imbecillis, pau-
*Ioa.1. 14.* per, & fari liceat : *Verbum caro factum eſt. In-*
D. AVG. *uenis ille erat* (inquit D. Auguſtinus) *paruu-*
*in pſa.70. lus iſte, contraxit & breuiauit quodammodo iu-*
*con. 1. ad uentutis ſuæ magnitudinem, paruulus factus eſt,*
*fum.T.8. vt mortuo conueniret*. Hoc illud eſſe myſterium
dicimus, quod Dauid expoſuit ſymbolo maximè
congruo, ſponſi, qui in illo virginali thalamo,
ſponſam ſibi aſſumpſit, humanam naturam : *Et*
*Pſ.18. 6. ipſe tanquam ſponſus* &c. Hac coniunctione, di-
citur caro pueri, ex calore vatis calefacta : Hic
quippe noſtra natura verè eſſe diuinum accepit,
diuinas proprietates, gratiam infinitam, im-
menſamque gloriam. Papæ quanta myſteria !
Inde egreditur, & per domum huc atque illuc
ambulat propheta, de ventre namque virginis
egreſſus Dei filius, per mundum luſtris ſex per-
ambulauit : modò inter Ægyptios, nunc inter
*Luc. 9.6.* Samaritanos, modò inter Galilæos &c. *Circuï-*
*bat per villas & caſtella*. Teſtatur Lucas. Ve-
rumtamen regreſſus en altera vice ſe ad mortui
corpus contraxit, capiti caput, oculis oculos,
manibus manus, pedibus pedes, corpori corpus
aſſocians. Ad quid huic primæ coniunctioni ſu-
peradditur & ſecunda ? Admirabile ſacramen-
tum. Primum : ſe corpori defuncti coniunxit
per Incarnationis myſterium, naturam aſſumens
humanam, peccati totius expertem, mundam,
puram, imo ipſo ſole in virgine puriſſima pu-
riorem, in morte verò ſuâ requiritur vt ſe de-
nuo corpori peccati conſociet, in ſuo corpore
cunctas eius aſſumat pœnas, quas culpæ tales,
tantæque merebantur, vt pro illis Patri cœleſti
ſatisfaceret, hanc autem perficit coniunctionem
dum lectum aſcendit Hieruſalem. Viden' il-
lum aſcendentem : *Ecce aſcendimus Hieroſoly-*
*mam*, alludere videtur ab illud Eliſei : *Aſcendit*
*& incubuit ſuper eum*. Hic quandam facit con-
iunctionem, totum ſuum corpus corpori pecca-
ti mortui contemperans, & abbreuians nodò
adeo ſtricto, vt vnum quid cum illo eſſe videa-
tur : cum in qualibet corporis ſui parte dolo-
rem ſuſtineat, quam culpa meretur, quâ pec-
cati corpus in ſui qualibet parte coinquinatur :

ita vt qui illum quoad exteriorem tantum figu-
ram viderint, ex ea ipſum corpus eſſe peccati
iudicârint : *Eum, qui non nouerat peccatum: pro* *2.Cor.5.*
*nobis peccatum fecit. Factus pro nobis maledictum.* *Gal.3. 13.*
q. d. Ipſe, qui non nouerat, quid eſſet pecca-
tum, quoad culpam, factus eſt corpus pecca-
ti, quantum ad pœnam, cum tot ſuo in corpo-
re pœnas ſuſtineat, quot peccati corpus in ſe
culpas. Has binas perpendit coniunctiones Apo-
ſtolus mirificis illis verbis, ſæpeque repetitis :
*Qui cum in forma Dei eſſet* &c. *Semetipſum exi-* *Phil.2. 5.*
*naniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem*
*hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Pri-
mam hic conſidera incuruationem cum puero
mortuo : *Semetipſum exinaniuit. Iuuenilia mem-* D. AVG.
*bra contraxit* (teſte D. Auguſtino.) *Tanquam* *Ser.11. de*
*ſeipſum exinaniens, vt formam ſerui acciperet* &c. *verb. A-*
Hac porro non contentus, poſtquam huc il- *poſt c.10.*
lucque diſcurrerat per terras, per maria, ſe- *T. 10.*
cundam demum in cruce perfecit : *Humiliauit*
*ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem,*
*mortem autem crucis*. En quam ſe vice altera con-
traxerit : *Humiliauit ſemetipſum*. De prima con-
figuratione ſic ait : *Exinaniuit ſemetipſum* ; de
ſecunda ; *Humiliauit ſemetipſum*. Et hoc vſque
ad mortem crucis, in qua tormentis, pœniſque
cruciatus expirauit, cum in omnibus ſui cor-
poris partibus tot aſſumpſerit cruciatus, vt ſe pœ-
nis oſtenderit, corporis peccati culpis eſſe con-
figuratum ; ac capitis ſpinæ, ſuperbiæ corpo-
ris peccati reſponderent, claui manus perforan-
tes, peccati corporis auaritiæ, humeri flagris
diſciſſi, ei idem luxuriæ, oris fel & acetum,
eiuſdem voracitati, in pedibus harpagines pec-
cati corporis acediæ conuenirent : *Vt deſtruatur* *Rom.6.6.*
*corpus peccati, vt amplius non ſeruiamus pecca-*
*to*. Hoc modo vitam reſumpſit defunctus : cum
mors illa, mortem deleuerit peccati, ac iuſti-
ficationis gratiæque vitam ſit operata : *Reconci-* *Rom. 5.*
*liati ſumus Deo per mortem filij eius*. Habes hic *10.*
rationem, ob quam Chriſtus ſuo in corpore tot
pertulerit cruciatus, vt nulla fuerit in eo pars à
cruciatu libera, quia nulla in veſtro, ac vobis
pars eſt à culpis, ſceleribuſque munda. Proin-
de conuenit : *Vnum contra vnum & duo contra* D.GREG.
*duo. Idcirco* (ait D. Gregorius Nazian.) *Li-* NAZIAN
*gnum aduerſus lignum, manus extenſa aduerſus* *loc. cit.*
*manum extentam, ſublimitas aduerſus lapſum,* *Ser.3. de*
*fel aduerſus guſtum, ſpinea corona aduerſus per-* *quinque*
*uerſum imperium, mors aduerſus mortem. Vt to-* *dieb. pro-*
*tum hominem ſaluum faceret*, (ait D. Bernardus.) *ceſ.*
*Corpus exponit tantis ſupplicijs & iniurijs*. Fieri-
ne poteſt, ô Chriſtiane, vt dum aduertis quan-

tis ſuis impendijs Dei filius voluerit corpus illud peccati demoliri, velis tu, ipſum in te regnet? An dicam fieri poſſe, vt tuo in capite regnet ſuperbia, & continua mentis tuæ tumeas elatione faſtuoſus, cum caput illud videas, omnes Dei ſcientiæ theſauros concludens dumis ſpiniſque coronatum? Vt tuis in manibus auaritia dominetur, pauperibus eas contrahas, dum illas trabalibus ternis clauis transfixas, vt ex illis tibi venarum ſuarum ſanguinem propinet pretioſiſſimum? In pectore tuo iram, vindictæque viuere cupiditatem, dum Chriſti pectus arcam theſaurorum Dei, conſpicis apertum, & vt ipſa cordis intima monſtret offeratque illis ipſis, qui illud pupugerunt? Tanto tempore tua in carne vigere impudentiſſimam laſciuiam, dum redemptoris aſpicis carnem de puriſſimo Virginis Mariæ ſanguine, Spiritu S. operante formatam ipſo cœlo puriorem flagellatam, plagarum factam congeriem, fontemque ſanguine profluentem?

Ezech. 43. 10. *Tu autem fili hominis* (ſic Deus Ezechieli) *oſtende domui Iſrael templum & confundantur ab omnibus iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus quæ fecerunt, figuram domus, & fabricæ eius, exitus, & introitus, & omnem deſcriptionem eius.* Hoc idem ipſe hodie proponit, tibi diuinum illud oſtendit corporis ſui templum, de quo ipſe præfatus

Ioa. 2. 19. erat: *Soluite templum hoc &c. hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Vt illud membratim perſcruteris, non curſim ſed attentim pœnarum ſuarum partes mediteris: *Tradetur ad illudendum, flagellandum: conſpuendum &c.* Hortatur

Pſ. 47. 14. nos pſaltes regius: *Diſtribuite domus eius.* Vt in cunctis corporis eius partibus tot conſiderans cruciatus, quot in tuo corpore crimina dominantur: *Deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato.* In hunc finem has omnes ita pœnas commemorat minutim, vt eas illo tu modo conſideres, corpore corpus conferendo.

### §. 4. *Cur Chriſtus dixerit mortem ſuam multis profuturam, cum pro omnibus ſit mortuus.*

☞ 7 MOdò capies myſterium, quod de lapide propoſuimus: *Ego cælabo* inquit Dominus: *ſculpturam eius*, vt totus elaboretur, vt autem cælaturam deſignet, ait: *Septem oculi ſuper lapidem vnum.* Septem numeran-

Zach. 3. 9.

tur vitia capitalia; ſculpi debet lapis, ad hæc omnia conſummanda, vitijs ſculptura conueniat, & cuique eorum ſua congruat in lapide ſculptura. Imò verò hoc Dominus ſignare voluit his vltimis Euangelij verbis, quæ primis correſpondent. In principio dicit, ſe tradendum, illudendum, conſpuendum, flagellandum, crucifigendum, moriturum. Cur tantus ô Domine, pœnarum cumulus, cum vel minimus dolor ſufficiat? *Venit filius hominis dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Domine, hoc mihi quàm primum multò difficiliùs intellectu: quomodo inquit pro multis? An non ergo pro omnibus? En tuum audio loquentem Apoſtolum: *Pro omnibus mor-* 2. Co[r. 5.] *tuus eſt Chriſtus.* Et tuus Euangelicus vates 15. prædixerat: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem* Iſa. 53. 6. *omnium noſtrum.* Eximia hic docent nos Theologi myſteria. Quidam, dicunt quod licet verum ſit, quòd pro omnibus mortuus ſit ſufficienter, efficaciter tamen non niſi pro multis. Alij phraſim attendunt loquendi ſcripturæ, quæ hac voce: *Multi*: aliquando vtitur vt omnes ſignificet, multaque probant pereleganter. Inſigne verò noto myſterium, quod D. Auguſtinus prælibauit: nempe dicere: *Pro multis* idem eſt ac ſi dixeris pro varijs, diuerſis, imo contrarijs. Dicit belli dux cui in magnum numerum militum eſt imperium. Domine magnâ opus eſt patientiâ, prudentiâ, cum multis agendi, multoſque gubernandi: Cur ergo non dicis; cum omnibus? Vtique; I. illo tamen verbo: *Multi*, declarare intendit di- Quid ſi- uerſitatem perſonarum, conditionum ac quali- nificet tatum. Si omnes vnius eſſent conditionis, qua- quod litatis, mentis ac intentionis, res non eſſet tam Chriſtus ardua, ac plena negotij, verumtamen hi om- pro mul- nes propriam ſibi habent innatam qualitatem: tis ſi[t] hic eſt Saturno triſtior, alter excitatus, ala- paſſus. cer, hunc non eſt quod excites ad facinora, alterum non eſt quod poſſis ſedare. Hinc vulgare dictum, arduum eſt & cumprimis operoſum, multos regere, id eſt conditionibus, naturaque differentes. Mortis Chriſti myſterium, non tantum eſt, quòd pro omnibus ſit mortuus, ſed inſuper quòd illi omnes, ſunt multi, hoc eſt, varij, diuerſi, ſæpe contrarij, ſibique inimici: Vnus ſuperbus, qui pro honoris atomo mille dilapidabit bona: auarus alter, qui ne obolum pro cunctis expendet honorum punctulis. Alter grauis, acedioſus, vt non ſit qui eum permoueat, alius ſuis ſic inardeſcens vanitatibus, vt ignis eſſe videatur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur. Hic adeo ſuis addictus delicijs, vt vel pro vna crapula, vitam ſuam exponat diſcrimini: ille, vt id agat, quod ſibi faciendum incumbit, ne quidem expendet obolum. Ea igitur de cauſa, magno dicitur myſterio, quòd Chriſtus mortuus ſit: *Pro multis*, hoc eſt, pro varijs peccatorum, criminumque generibus, eo modo quo D. Paulus opponens redemptionem Chriſtique obedientiam, culpæ, Adæque inobedientiæ, ſic ait: *Per inobedientiam* (Rom. 5. 19.)
*vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi.* Quomodo: *Multi*? An non nos omnes? Concedo? quia: *Omnes in Adam peccauerunt.* Sed hâc loquendi formulâ plus his aliquid voluit ſignificare, nempe, ex hoc primo peccato, tantam enatam peccatorum, ſcelerumque, cum varietatem, tum multitudinem, tanquam ex prima radice, vt conſpicimus, quoſdam hac conditione, alios alia ſceleratos: cum enim naturæ ſoluerentur habenæ, & affectus ac inclinationes liberè vagarentur, nulluſque eas cohibêret, eſſent autem multum inter ſe differentes, ita quoque diverſi exorti ſunt peccatores, qui nedum pares ſunt in peccato originali, ſed multi & varij in actualibus, quæ ex illo tanquam ex prima ſua origine ſcaturiunt vniverſa. Sicut ergo illi, cum ſint omnes, vocantur multi ob varietatem ac differentiam in ratione peccatorum, ita licet Chriſtus mortuus ſit pro omnibus, propriè tamen, magnoque myſterio dicitur mortuus pro multis: illi namque omnes, vnus non ſunt in ſpecie peccatorum, ſed differentes, multi, & varij.

(Iſai. 53. 12.) Hinc capio quod dixit de Chriſto Iſaias: *Ipſe peccata multorum tulit.* O vates veridice iam nunc dixiſti: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Si Pater ei cœleſtis omnium impoſuit iniquitatem, qua modò ratione dicis: *Ipſe peccata multorum tulit.* Num fortè imponente illi Patre cunctorum peccata, aliqua excidere permiſit, quæ ſoluenda non ſuſcepit? Optimè dicitur, omnia peccata ſuſcepit, ſed non erant eiuſdem generis, ſed diverſi; imo quædam ſpeciei contrariæ; q. d. nedum peccata ſuſcepit omnium, ſecundum quod vnum ſumus, in illo peccato originali, ſed ſecundum quod multi ſumus in actualium peccatorum differentia. Ea igitur de cauſa teſtatur: *Venit filius hominis, dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Multæ, variæ, differentes ac contrariæ culpæ, multa, varia, differentia, imo contraria exigunt ſupplicia, vt in omnibus correſpondeat pœna criminibus. Ad hoc tales ſint Chriſti cruciatus, vt ſicut omnis generis ſunt culpæ, ſic ſint & cruciatus, & ſicut culpæ ſunt in toto iſto peccati corpore ſint & pœnæ in toto ſuo corpore ſanctitatis. Hæc ergo fuit ratio, (docet D. Thom.) (3. p. q. 46. a. 5.) cur Chriſtus omnigenos pertulerit cruciatus, in honore, in bonis, nempe eius tunicis, in perſona, in capite, in oculis, in ore, in manibus, ab omnibus hominum generibus, à Iudæis, Gentibus, Sacerdotibus, ſæcularibus, Regibus, militibus, amicis, inimicis, hoc ipſe his verbis demonſtrat apertiùs: *Tradetur Principibus Sacerdotum, qui condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, conſpuendum, flagellandum* &c.

## §. 5. *In huius lapidis ſculptura, quiſque ſua inueniet peccata deſignata.*

EN lapidem omni ex parte expolitum, ſuper quem firmantur oculi ſeptem, ſic enim interpretari licet, quod modo declaramus: *Super lapidem vnum, ſeptem oculi:* qui vt expoliatur ſeptem ſuper eum figuntur oculi, quibus conſpicitur, qualis ſit ſculptura, in omnium remedium peccatorum, quæ varia ſunt & innumerabilia, quæ de ſeptem naſcuntur capitalibus, videantur hæc ſeptem, ſicut cum ſeptem oculis, ſintque illi, qui in lapidem defiguntur, ad cælandam ſculpturam eius quam lapidicidæ elaborabunt, vt culpæ pœna conueniat. Vide an non illud grande portentum, an non hic multa conſideranda, an non te deceat eſſe virum, virum talem, qualem vult Deus: *Viri protendentes ſunt.* Lapis diuinus, ſuper quem ſeptem oculi, qui ea de cauſa dicuntur eſſe ſeptem: quia hic numerus in ſacra pagina, vt notant SS. Patres D. Hieronym. *a*. Et Auguſtin. *b*. Deſignat vniuerſitatem. Speculum, quod multi intuentur, plenum eſt tot oculis, quot ſunt ſpectatores, & quiſque in eo ſuos conſiderat ac intuetur. En illud diuinum ſpeculum: *Speculum ſine macula.* Omnium in illud intendantur oculi, & quiſque in eo ſuos intuebitur; in eo, ſuperbe, vaniſſimas capitis inuenies tui turres, in illis nempe ſpinis, quæ caput illud perforarunt venerandum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. In eo, diuitiarum belluo, tuas videbis vſuras, furta, iniquoſque contractus, in illis inquam manibus clauis confixis, vt

a *In c. 1. Iob & in c. 12. Marci.*
b *L. 1. de Ciuit. c. 31. & in Pſ. 78 & 118.*
*Sapi. 7. 26.*

vt tuis auxilietur. In illo diuino corpore S. Spiritus operâ formato, de puriſſimo ſanguine, virginis puriſſimæ, conſpicies tuas luxurioſe immunditias in plagis illis ac flagellorum cicatricibus &c.

Hunc myrrhe faſciculum (hortatur D. Bern.) inter animæ tuæ vbera collocato, eſto Dauidi ſimilis, vt cum eo proponas: *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia ipſis viuificaſti me.* Imo & illas optabat vehementer, rogabatque inſtanter, dum ait: *Veniant mihi miſerationes tuæ & viuam &c. Et ego, fratres* (inquit) *ab ineunte mea conuerſione, pro æterno meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter vbera mea collocare decreui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei &c. conuitiorum: ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobationum, clauorum, horumque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis ſylua Euangelica copioſiſſimè noſcitur protuliſſe.* Oculos tuos (inquit) in illum conijce faſciculum: ibi conſpicies, quid ſit peccatum, cum tam carò eius Deo ſteterit remedium: illic licebit viſere, quid ei debeas, & quantum ſit proditionis ſcelus eum tam grauiter offendere, qui tanta pro te noſcitur pertuliſſe. Hic inuenies, ſuperbe, humilitatis exemplum; tu auare, liberalitatis; iracunde, patientiæ; obedientiæ refractarie; charitatis inuidioſe; & abſtinentiæ, pinguicule. Hic inuenies meritis pauper, quod offeras Patri, in tuorum remiſſionem peccatorum; hic ſcutum, quod diuinæ opponas iuſtitiæ inexpugnabile; hic mare lauatorium, quo culparum tuarum maculæ detergantur: *Hunc & vos dilectiſſimi, tam dilectum faſciculum colligite vobis, hunc medullis inſerite cordis, hoc munite aditum pectoris, vt & vobis inter vbera commoretur. Habete illum non retro in humeris, ſed ante præ oculis, ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote: quia accepit eum Simeon in vlnis ſuis &c. Si enim ante oculos habueritis, quem portatis pro certo videntes anguſtias Domini, leuius veſtras portabitis.*

Pſ. 118. 93.
P. 118. 77.
D. Birn. Serm. 43. in Cant.
D. Bern.

### §. 6. *Eſt Chriſti paſſio fel piſcis Callionymi, qui cæcos illuminet oculos.*

☞ 9 EX prædictis campus aperitur latiſſimus, quo pateat, quàm iuſta ratione dixerit D. Auguſt. quem ſequitur D. Proſper. *a.* Chriſtum nobis præſignatum fuiſſe in piſce illo Tobiæ cunctis notiſſimo. Iam enim notauerat D. Auguſtin. *b.* myſterium quod didicerat ex Tertullia. ad illos Græcos verſus Sibyllæ Erithreæ, quos ipſe refert; quæ in illis myſtica valde de Chriſto prænuntiauit, cum autem illi, qui tales rimantur ſcripturas, ipſos etiam minimos apices enucleent, ſumptis primis litteris ex verſibus Græcis, numero octodecim, aduertit quòd hæ ſimul iunctæ, hæc quinque reddunt nomina; *Ieſus Chriſtus filius ſaluator.* Et ſumptis quinque primis litteris Græcis horum quinque verborum, quod hæ ſimul connexæ, reddant latinam vocem: *Piſcis*, quo ſignatur, in hoc mira Chriſti myſteria comprehendi, quòd piſcis vocetur, quia in illo piſce Tobiæ cuncta referantur. Piſcis hic totus erat & vtilis, & ſanus: eius caro cibus erat & alimentum; cor & iecur dæmones effugabat, ligabat, vires eorum reprimebat, nominatim autem fel oculis aptum erat illuminandis, eorumque ſquammis auferendis. Hi porro effectus huic piſci ſunt naturales, vt notat Valles de ſacra philoſophia, vocaturque Callionymus, id eſt piſcis pulcherrimi nominis. Piſcis huius fel valet ad tollendam ab oculis albaginem; nubeſque denſiſſimas viſui officientes. Ita ſentiunt Galen. *a.* Plinius *b.* Ælianus *c.* Ex Ariſtotele. Videmus autem quàm naturaliter hunc effectum in Tobia ſit operatus: ait enim ſacer textus: *Sumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui, & ſuſtinuit quaſi dimidiam ferme horam, & cœpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana oui egredi.* O piſcem mirabilem! at multo eſt mirabilior qui hoc piſce deſignatur, nimirum Chriſtus, piſcis Callionymus, nomine pulcherrimus. Quod eſt nomen eius? IESVS. O dulce nomen! *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Totus eſt ſanus, vtilis, caro eius in cibum ſumitur, vitæque alimentum: *Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam.* Cor eius, id eſt diuina virtus dæmones fugat, ligat, viresque cunctas eneruat. Ita vidit illum D. Ioannes, quòd catena dæmonem alligauerit. Nominatim autem fel eius, amariſſima ſcilicet paſſio, valet oculis illuminandis, membranas eorum nubeſque detergendo: ſi namque Chriſti paſſio mente reuoluatur attentiori, figanturque in eum interiores oculi, ne dubites, terrena tollitur membrana, nubeſque vanitatis; oculis patet quis ſit Deus, quid pro me egerit, quàm illi carò meum conſtiterit remedium, quantum me ſibi deuinxerit iam reparatum. Oculos aperi, vt illam Dei ſapientiam,

a L. de prædict. &

Tob. 11. 13.
Cant. 1.
Ioan. 6. 59.
Apoc. 20. 1. 2.

tiam, bonitatem, miſericordiam, iuſtitiamque contempleris, vt peccati mortiferi venenum, pondus, malitiamque intuearis, vt quàm te deceat eſſe patientem, humilem, obedientem, mitemque perſcruteris. Faxit Deus hoc fel ſingulis diebus, vel media hora tuis ſuperimponas oculis intellectus; eius patientiam, obedientiam, aſperum lectum, ſel amarum, acetumq; perpenderes, eumque tibi loquentem attenderes cum Bern. *O homo, nonne ſatis pro te vulneratus ſum? Nonne ſatis pro iniquitate tua afflictus ſum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggrauant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei.*

[D. BERN. Ser. fer. 4. Hebdom. pœnoſa.]

De hac Chriſti paſſionis meditatione, quam ſibi fuerit proficua ſic ſcribit D. Auguſtin. *Cum me pulſat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti. Cum me premit caro, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini noſtri, filij Dei, extinguitur. In omnibus aduerſitatibus, non inueni tam efficax remedium, quam vulnera Chriſti. In illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus &c. Longinus aperuit mihi latus Chriſti lancea, & ego intraui, & ibi requieſco ſecurus. Non poſſum teneri multitudine peccatorum, ſi mors Domini in mentem meam venerit.* Huius defectu meditationis deficiunt tibi vires, peccatis vitijſque reſiſtendi, quæ te ad molam trahunt verſatilem, hoc enim indicatur, (interprete D. Ambroſ.) illa Samſonis imbecillitate, quæ illi obuenit deraſis ſibi capitis capillis, qua debilis ita corruit, vt eum captiuum ligarint Philiſthym, omnium ludibrium, peripſema, damnatumque abiecerint ad moletrinam: *Clauſum in carcere molere fecerunt.* Deſignant enim capilli mentis cogitationes ſanctas ex capite prouenientes. Hæ vires addunt animæ, redduntque eam ab inimicis inuincibilem: *Nihil ita mentem ab amore ſeculi ſeparat, nihil ita hominem excitat, & adiuuat ad omne opus bonum, & ad omnem laborem, quam gratia contemplationis.* Ita D. Bern.

[D. AVGV. Ser. 4. in feſto Petri & Pauli. Tom. 9. l. Manua. c. 21. & 23.]

[L. de Spiritu S. in Prolog. ad finem. Iud. 16. v. 21.]

[D. BERN. l. Medita. c. 7.]

His congruum edidit D. Thom. Tractatum huic propoſitioni innixum; quòd homo ſit quidam paruus mundus, & quòd ſol, ſeu lux eſt in mundo maiori, hoc eſt ipſa in maiori conſideratio. Tria in mundo maiori lux operatur. Primum, quòd eum reddat formoſum, per hanc enim eius videtur decor ac pulchritudo: Secundum: quòd illum dirigat, ac deducat, cum nihil ſit ſine luce certum. Tertium: quod illum reddat ſecurum: ex luce quippe, cernimus quæ ſint nobis fugienda: *Tria ſunt in mundo maiori, quæ pendent ab illuminatione, decor, directio & ſecuritas: deficiente illuminatione, hæc omnia deficiunt.* Hæc quoque tria in minori mundo, id eſt homine, operatur ipſa conſideratio; per hanc enim quid ſit in Deo decorum conſpicimus, & quæ ſint peccati mundique deſpicienda: per hanc homo percipit, qua ratione ſuas dirigat actiones, ſibique ſit ab inimicis præcauendum. Eximium quid eſt, pia meditatio, vel minima temporis mora cœleſtium attenta conſideratio. Inter illas eminet, pluriſque cæteris refert Dominicæ meditatio Paſſionis. Tales erant cœleſtis ſponſæ capilli, quos ſponſus comparat capris: *Quæ aſcenderunt de monte Galaad.* de quibus aliàs fuſius egimus. Fel piſcis huius cœleſtis noſtros illuminat oculos, docetque multa, quæ modo conſideramus.

[l. 3. de Inſtit. Princ. c. 4.]

[I. Tres effectus meditationis paſſionis Chriſti.]

[D. THO.]

[Tract. 1. n. 166. & ſeqq. Cāt. 2. v. 1.]

## §. 7. *Viam, quæ ducit Chriſtum ad gloriam, inſequi debemus, nec enim melior eſt Domino ſeruus.*

PRimum igitur nos docet Saluator viam quæ rectà ducit ad cœlum, regnique gloriam. 10

Hæc erat continua Regis vatiſque Dauid Oratio: *Oſtende mihi viam in qua ambulem.* Et iuſtè quidem: ſiquippe via hæc neſcitur, aut in ea erratur, nulla certitudo in reliquis, alicuius eſt momenti: *Ecce Aſcendimus* Aduertite chariſſimi, inquit Dei filius, quod aſcendimus Quò Domine aſcendis tandem quieturus? Ad gloriam reſurrectionis, regnumque ſempiternum: *Tertia die reſurget.* Quā viam ingrederis: Quâ illuc tendis? Hieruſalem verſus pergo, vbi tradendus ſum, capiendus, illudendus, flagellandus, crucifigendus, moriturus; Hanc Domine, carpendo viam, ad mortem tendes ignominioſam magis quam ad vitam glorioſam, & in terra ſepulchrum magis redolet obliuionis æternæ, quàm in cœlo gloriam triumphantis. Noueris tamen, hanc eſſe viam quàm oportet ingrediar, & quam cœleſtis mihi Pater deſignauit, nec mihi ſoli, ſed & vobis quoque, quinimo omnibus cœlum petentibus, quibus me ducem & ſtatuo anteſignanum, vt adimpleatur Michææ de me vaticinium: *Aſcendit pandens iter ante illos.* Ita vt me, & vos, omneſque qui illo aſcendant, hanc oportet viam perambulare: *Ecce aſcendimus*. q. d. paſſus meos attendite, conſiderate veſtigia: *Ecce*, quæ impreſſa relinquo, meoſque calles, vobis in duces vitæ præſignatos. Huic: *Ecce* concinit illud D. Petri: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Notat D. Hieron. *a.* de quo mutuatus eſt D. Gregor. *b.* Quod Dominus circa ſum-

[Pſ. 142. 8.]

[Mich. 2. 13.]

[1. Pet. 2. 20.]

[*a* Epiſt. 128. ad Fabio.]

[*b* in 1. Reg.]

mi Pontificis decreuerat veſtimenta, nimirum, vt ad oram tunicæ talaris tintinnabula appenderentur, vt mouente illo pedem, ac procedente, ſignum alijs ederet; oculoſque quaſi adſciſceret, vt gradientem intuerentur, ſignumque attenderent quod dabat, quaſi vitæ ducem, per quam omnes ambularent, ac ſe per eam ipſum oportere ſequi intelligerent: cum eſſent Pontificis greſſus, velut viuum exemplar, eorum in quibus populo eum decet anteire. Summum ecce noſtrum Sa-Sacerdotem, qui ad gloriam ſuam procedens, ad ſe noſtros allicit oculos: *Ecce aſcendimus*: vt ſciamus, hanc eſſe viam nobis ineundam. Hac vadit Chriſtus, & aliam tibi eſſe num credis? Ipſe pandens iter aſcendit per flagella, ſputa, ſubſannationes, colaphiſationes, fel, clauos, crucem, lanceam, labores cruciatuſque omnigenos, & eò te poſſe peruenire præſumis, ebrietate, crapula, compotatione, commeſſatione, ventriſque delicijs? Abſit

*L. de diſciplina, habitu virginum.*

omnino. Conſonat his D. Cyprian. argumentum, ex hac Chriſti ratione deductum: *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo.* Quo cordibus noſtris hanc inculcet lectionem. Nullus fuit vnquam ſeruus

*Ioann. 15. 20.*

adeo veſanus, vecorſque mentis, qui pinguiorem, ac Domino ſuo ſortem quæreret ſibi meliorem. Num te Chriſti ſeruum eſſe glorians? Indubiè: eſtque hæc veſtra ſors optima, quærendaque beatitudo. Eia igitur attende, quæ Chriſto ſors obtigerit, quid de illo Pater diſpoſuerit, quâ viâ ad gloriam cœleſtis regni peruenerit? An non fuere cruciatus, dolores, ignominia, perſecutio, paupertas, humilitas?

*L. 19. Mor. c. 3. & Ho. 1. in Ezec. & Ho. 19. in Euang.*
*Pſa. 67. 5.*

Ruminat moralis Gregor. illud pſalmiſtæ Chriſti triumphos celebrantis: *Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.* Modum mirare loquendi: *Aſcendit ſuper occaſum.* Ad altiſſima conſcendit, & ad hoc, pedem figit in occaſu, ac morte ſua. Quid canere ô vates intendis? Chriſti triumphum. Aſcendit, & ſuper omnia eſt eleuatus. At ſuper quid innititur, tam altè conſcenſurus? *Super occaſum.* Id eſt ſuper mortem ſuam. Ad litteram completum eſt illud Apoſtoli:

*Philipp. 2. 8.*

*Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.*

*Ioan. 3. 14*
I. Serpens æneus Chriſti figura.

Tangit Rex & Propheta ænei ſerpentis myſterium adeo myſticum, vt illud Chriſtus aſſumpſerit, quo Nicodemo cæleſtia ſua myſteria declararet: dicens: *Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto.* Notatu digniſſima ſpectanda veniunt in illo æneo ſerpente, quæ aliàs declarauimus. Primum; quòd alijs ſerpentibus ſimilis eſſe, & venena flare videretur, nec tamen verus erat ſerpens, nec venena euomebat. Secundum: quòd ignis ſerpentem hunc tali figura conflauerit: erat enim fuſilis. Tertium: quòd ſerpens ille ſit in altum erectus ſuper ſtipitem: viui verique ſerpentes per terram repunt, vt verò ſe à terra ſubleuent, pectus terræ allidunt, eoque ſe tollunt ad altiora: hic autem ſerpens æneus conflatilis, ſtipiti affixus eleuabatur. En præclara de Chriſto myſteria: primum: figuram ſumpſit peccatoris, & peccati veneno infectus cenſebatur: *In ſimilitudinem carnis peccati*: Verumtamen nec erat peccator, nec peccati veneno infectus: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Inſuper, ignis ſit, qui Dei filium æneo ſerpente figuratum, in forma peccatoris ſtipite ſuſpendit; amoris inquam ignis ſerpentem hunc in ſufflatorio ſeu fornace conflauit vteri virginalis: *Qui conceptus eſt de Spiritu S.* Qui amor eſt, ignisque diuinus. O Domine: *Quomodo fiet iſtud?* Quærit cœlorum regina, Dei genetrix mox futura. Cui reſpondetur: *Spiritus S. ſuperueniet in te &c. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum &c.* Tandem vt ſuper omnes cœlorum vertices omnemq; creaturam eleuetur, cui innititur? Crucis patibulo: *Mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum &c.* Hæc via fuit reſurrectionis, glorificationis, aſcenſionis, exaltationis, ita vt; *In nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Hanc ingreſſus eſt ſemitam. Quod autem eſt illi nomen? *Dominus nomen illi.* Dominus toto ore, Dominus illimitatus, Dominus tam immenſus, vt nihil ſit in cœlo, neque in terra quod eius non ſubſit imperio.

*Rom.* *22.* *Luc.* *Philipp. 10.*

Cum ergo cœlorum Domino nullum aliud iter eo tendendi fuerit præter hoc, tu vile mancipium, terræ limus, quâ aliâ credis viâ illo tibi aſcendendum? Num forrè tibi perſuades aſcenſum tuum fulciri, delicijs, voluptatibus, molli lectulo, menſa geniali, viam percurrendo mundi vanitatum? Vade, (inquit D. Cyprian.) deliras, iam enim tibi prædictum eſt: *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo.* Arrige aures doctrinæ magiſtri, qui ſe tibi præbuit & vitæ ducem, & præceptorem: *Hæc eſt via ambulate in ea.* Duo illi diſcipuli, tendentes Emmaus, vt erant adhuc horum ignari rudeſque myſteriorum, videntes quam fuerat Chriſtus viam ingreſſus, eam nempe, in qua traditus fuit, illuſus, conſputus, occiſus, crucifixus, opinati ſunt, quòd hæc ei præter votum ſucceſſerat, quodque mortuus, ſepultus, perpetua

*Iſa.*

obliuione

obliuionē del:tes interierat, vnde aiebant: *Nos
autem ſperabamus, quod ipſe eſſet redempturus*
Luc. 24. 21. *Iſraël.* Illum regnantem videre ſperabamus, at eo
momento temporis eſſe deſijt, quo vidimus eum
viam carpſiſſe paſſionis, illuſionis, contemptus,
crucis, mortis: hanc quippe viam non niſi ad
ſepulchrum, vermes, interitumque terminari
poſſe ſciebamus: *O ſtulti & tardi corde!* &c. *Non-
ne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in
gloriam ſuam?*

☞ II. Similitudo. An ergo Domino tuo alia non fuit via, quâ
in propriam ſibi gloriam perueniret? Alia certè
determinata non fuit, niſi hæc, qua pro-
prium ſibi regnum intraret triumphator: *In
gloriam ſuam;* quam ergo tibi æſtimas præpa-
ratam! Si rex Dominus noſter, ex mera qua
erga viliſſimos ſeruos afficeretur, compaſſione,
apud Algirenſes ad triremes damnatos, eo ipſe
proficiſceretur, ipſos redempturus; & in eo-
rum libertatem pro litro ſolueret maximas pri-
maſque regni ſui diuitias: redemptos autem libe-
roſque, nobilitate donaret, ſecum duceret, ad
curiam ſuam reuerſus, vt eos eidem ſecum men-
ſæ concederet aſſidere: ad hunc vero regreſſum,
ipſe Rex triremes ingrederetur, ſe tempeſtatibus
objiceret, ventorum pugnas ſuſtineret, & nauim
aſcendens conuerſus, illos his verbis hortaretur.
Eia agite chariſſimi: en in priſtinam vos aſſerui
libertatem, ad regnum meum proficiſcimur, vt
autem eo perueniamus, ſimque vester anteſi-
gnanus, hanc ſubeo triremem, his me pericu-
lis maris expono, hunc moleſtiſſimum Oceani
perfero laborem, ſicque ad regni mei littora læ-
ti ſanique appellemus, nullum enim mihi aliud
ad regnum iter aperitur. Si quis neſcio maſti-
gia proſiliret audaculus: Domine: nimis hæc
mihi moleſtia via, graue mihi eſt mare ſulcare
triremibus, angunt enim me ventorum turbi-
nes: me fluctus examinant, terrent tempeſta-
tes: equidem expopto ad tuum proficiſci regnum,
hiſque tuis gaudere beneficijs: velim attamen
maris vndas non tranſire turbulentas, ſed pon-
tem mihi ſterneres ampliſſimum, floribus roſiſ-
que intertextum, ad ſingulos lapidis iactus mil-
le delicijs ſuffultum, vt me nec aquæ tingat
guttula. O te ſcurram, abiectum, impuden-
tem! Cum Rex ipſe in te adeo beneficus, eo
ſolum tetenderit, quo tanto te litro redimeret,
catenis abſolueret, in regnum ſuum deduceret,
aliudque ſibi non decreuerit iter, reuerſurus, re-
gnumque intraturus, niſi maris amariſſimi flu-
ctus, moleſtam triremem, tu vile abortiuum,
flagitiſque digniſſime, pontem tibi quæris amœ-
niſſimum, placidiſſimum, ſecuriſſimum? O
ſupreme rerum Domine qui mera tua bonitate,
& amore piſſimo, de cœlo ad mundi huius
deſcendiſti Algirium, vbi nos moleſtiſſima tene-
brarum Princeps premebat ſeruitute; redemiſti
nos, non auro, non argento, ſed pretioſiſſi-
mo cordis tui ſanguine, vitam animamque no-
bis impendiſti. Hoc in Euangelio his innuit ver-
bis: *Venit dare animam ſuam redemptionem pro* Matt. 20.
*multis.* Accuratè dixerunt Apoſtoli: *Empti eſtis* 1. Cor. 6.
*pretio magno. Non corruptibilibus auro vel argento* 10.
*redempti eſtis* &c. *ſed pretioſiſſimo ſanguine quaſi* 1. Pet. 1.
*agni* &c. Ingenuos claroſque nos fecit, in Dei 19.
filios adoptauit: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fie-* Ioan. 1.
*ri.* His non quieuit: ad regnum ſuum nos vult 12.
conducere, vt ſibi reddat eiuſdem menſæ com- Luc. 22.
menſales: *Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam* 30.
*in regno meo.* Hanc autem eſſe dicit viam eo per-
tingendi, mare paſſionis ſuæ amariſſimum,
moleſtam aſcendere crucis triremem, iamque
horam imminere: *Vt tranſeat ex hoc mundo ad* Ioan. 13. 1.
*Patrem.* Ac proinde iſtas maris intret vndas: *Ec-
ce aſcendimus* &c. *Et filius hominis tradetur.* Qua-
le carpit iter per mare adeo amarum ac tempe-
ſtuoſum. Illud ingreditur: contra ventorum cer-
tat turbines, tempeſtatibus quatitur, vt ad ima
deſcendiſſe videatur: *Veni in altitudinem maris,* Pſ. 68. 3.
*& tempeſtas demerſit me.* O quàm profundis ſe
videt Oceani fluctibus abſorptum, dum Patri
triſtis conqueritur: *Omnes fluctus tuos induxiſti* Pſ. 87. 8.
*ſuper me.* Hac ad regni ſui gloriam appulit
immortalem. Monet nos, quandoquidem ipſe
nos prior antecedat, iuſtum eſſe, eum omnes
ſequamur; omnibus loquitur: *Ecce aſcendimus*
&c. q. d. Omnes vos, hanc oportet viam ingre-
di, vt regni mei ſitis poſſeſſores. Num erit
congruum, vt tu ſcurra, terreni Adami damnata
progenies, aliud prætendas iter, calles alios:
obmurmuras, fatigat me ieiunium, terret diſ-
ciplina, corporiſque caſtigatio, nauſeat cilicium,
calumnia non eſt tolerabilis, vita hæc triremes
ſapit, moleſta crucis ſemita: longè aliam ex-
opto, deliciarum, voluptatum, quietis, lu-
xuriæ, &c. Hacque incedendo, regnum ſpe-
res ſempiternum? Deſipis: mentem tibi det Deus
meliorem. Ex æquo pſaltes regius Chriſto has
fundit querimonias: *In mari via tua, & ſe-* Pſ. 76. 20.
*mita tua in aquis multis & veſtigia tua non co-
gnoſcentur.*

Exaltauit Pater filium, at non immeritum,
ſed prius ſupremis perfunctum laboribus, quales
nullus in hoc mundo pertulit vel ſceleratus: *Prop-
ter quod & Deus exaltauit illũ* &c. Et hoc tibi ar-
rogas,

rogas, quòd te Pater ſublimen exaltabit, ac glorificabit, cuiuſlibet laboris, pœnitentiæ, mortificationis ignarum; qui nec vnicam iniuriam, aut calumniam perferre velis, aut ſi velis, neſcias imperturbatus? Num tibi concedendum regnum præſumis immerito? Exſtruit mercator opulentus officinam, auro, gemmis, ſtragularis veſtibus, abundanter inſtructam, ſuoque lucro iam auidus inardeſcit, vt nec filiū gratis diſtrahat, vt nec proprio quidem filio, quem vita ſua habet chariorem, tantum detulerit, vt gratis ei daret vel aciculam, ſed accedenti ac à patre poſcenti carbaſum auro intextā, renuerit niſi pro vlna centum ducatos perſolueret. Si tu peregrinus accederes ab eoq; quæreres aulæa prætioſiſſima trium fimbriarum anaglypha eius officinæ, poſceretque à te pro vlna vnicum regium; tu verò cum quaſi de pretio ſummo quereris, tibi reſponderet? Siccine? noueris amice, merces eſſe tales, vt à proprio filio, qui mihi ipſa eſt vita charior, exegerim pro vlna lini tenuiſſimi, nec operis cœlati, centum ducatos, nec moleſtè tulit, tanti quippe valebat; tu verò te grauari à me conquereris, dum à te pro ſtragulis, quæ extra omnem comparationem ſunt pretioſiora, denarium pro vlna repoſco? Iniuſtè conquereris.

I. Similitudo.

O ditiſſimum mercatorem Deum, qui maximam erexit officinam opere Phrygio gloriæ, periſtromatibus, diuitijs, quiete, honore ad luxum inſtructam: omnibus illam extendit, & Iſaia clamitat præcone: *Venite, emitte* &c. Non enim gratis vel minimam cœli vendit voluptatem: quid dico, ipſi filio telam ſimpliciſſimam, corporis ſui gloriam gratis non vendit; ſed pro illa omnigenos in corpore animaque pertulit cruciatus: *Vſque ad mortē, mortem autem crucis. Videmus Ieſum* (clamat Apoſtolus) *propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Non animæ gloria, illa quippe ab inſtanti puriſſimæ ſuæ Conceptionis fruebatur. Tu accedis, pulcherrimumque ab eo poſtulas aulæū, veſtem ſtragulam, animæ intelligo gloriam, cum dotium clariſſimis fimbrijs, quæ ex illa profluūt, & corporis beatitudinem, qua regnes in omnia ſæcula, purpuram illam regalem, quā nihil in cœleſtibus eminentius; in eius communicationem exigit à te neſcio quantulum laborem, vt vnicum patienter feras verbum contumelioſum, ob leuem ne murmures corporis infirmitatem. Si tibi terrena deficiant bona, ne conqueraris, vt vel paucis iemnes diebus, carnem tuam paululum refrœnes, rebellum Deo confignes voluntatem. Heu Domine, quàm carò, ſed attende, quæſo quàm caro proprio filio corporis vendiderit gloriam, telam minoris valoris. Tuam arguo impudentiam, qui aliam tibi præſumis viam, ab ea longè diuerſam, quam ipſe Dominus tuus perambulauit, & per quam venit ad regnum glorioſius.

II. Chriſtus gloriam ſuam paſſione meruit. Iſai 55.1. Hebr. 2.9.

## §. 8. *In viam Iacobum & Ioannem reducit per calicem ſuum, hæc quippe eſt ſemita nubium.*

EX hac doctrina collegerunt D. Auguſtinus & D. Gregorius rationem, cur Chriſtus binos illos germanos hoc in colloquio, vocauerit ignorantes, & quidquid peterent, neſcientes. Loca quærunt in Chriſti regno primaria, carnis & ſanguinis niſi cogitatione, vel amicitiæ & propinquitatis gratia: *Neſcitis quid petatis:* hæc non eſt; neſcitis quid vobis poſtuletis. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ad viam tumentia diſcipulorum corda reuocat* ait D. Gregorius. Hæccine loca in regno meo poſtulatis? En quàm à recta via deuiatis; huc accedite, & in rectam vos viam reſtituam. Poteſtis bibere calicem meum? Vos diſcipuli eſtis, ego magiſter, vos ſerui ego Dominus: *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis: ſum etenim.* Quid ergo creditis? num magiſtro diſcipulus præcurret? num ſeruus melior, num priuilegijs auctior domino? Opinor, ait, D. Auguſtinus, Prophetam Dauid in ſpiritu petitionē hanc diſcipulorum audiuiſſe, & quaſi præſcium illis reſpondere: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.* Ex D. Auguſtino ex parte idem mutuatus eſt D. Berna. Emphatica ſunt hæc verba: *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* In memoriam reuocat hominis natalium vilitatem: q. d. O terreni homines, extorres paradiſo, ad panis in ſudore vultus veſtri eſum condemnati, ad labores nati, quibus pro bucella panis, ſudandum, laborandum; ſiccine euaneſcitis, vt ipſi velitis luci anteferri? Hoc etenim indicat illud: *Ante lucem ſurgere*, vt eodem ſenſu D. Ioannes Baptiſta de Chriſto: *Ante me factus eſt.* q. d. prior, dignior me eſt: antecedit me; rapit mihi palmam. Chriſtus lux eſt diuina: *Candor lucis æternæ* &c. *Ego ſum lux mundi.* Sicut enim lucis origo ex cœlo prouaſcitur, ita Chriſtus, cum ſit cœleſtis, & de cœlo deſcenderit, vt nos eo deduceret, tanquam cœli Dominus, eo regreditur, per crucem, irriſiones, humilitatem, hac via primas in cœlo ſedes eſt conſecutus: *Humiliauit ſemetipſum* &c. *mortem autem crucis* &c. *propter quod & Deus exaltauit illum* &c. An ergo hæc veſtra non eſt vani-

D. Gr. Hom. in Luc.

Ioan. 13.

Pſ. 126.

Ser. ... natal. S. Victoris.

Ioan.

Sap. 7. Ioan. 8.

Philipp. 2. 8.

vanitas, ac temeraria ſuperbia quòd velitis ante illum ſurgere? luci velitis anteferri tenebras? Domino ſeruos? Diſcipulos magiſtro? Vos arguit Dauid, inquit D. Auguſtinus: *O filij Zebedæi, Dominus ipſe veſter, qui eſt lux veſtra, humiliatus eſt, vt exaltetur, & vos ſurgere vultis, antequam ſedeatis, antequam humiliemini? recordamini illum vobis dixiſſe. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, perfectus autem erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Ego per calicem ad regnum tendo. Si aliam vos quæritis viam; *Neſcitis quid petatis.* Rectam, veramque quæritis viam? de bibendo meo calice veſtrum ſit negotium: *Poteſtis bibere calicem?* &c.

D. Avg. in pſ. 126. T. 8.

Quantum ſapio cum illis, agit, ſicut antiquitus cum Moyſe, qui cum Deo libellum hunc ſupplicem inſtanter, humiliterque obtuliſſet, *Oſtende mihi faciem tuam*: Nequaquam, reſpondet Deus: *Neſcitis quid petatis, non videbit me homo, & viuet.* Attamen hoc tibi indulgeo: *Poſteriora mea videbis.* Quid hoc rei, Domine? Faciei petit intuitum, at tu illi: oculos reflecte ad poſteriora. Grande ſacramentum, inquit D. Gregorius Niſſen. a. D. Bernardus. b. Eſt Deo facies, ſunt & humeri: facies pulcherrima, eius eſt diuinitas, gloria, claritas, cuius aſpectus beatificat intuentes: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Humeri ſeu poſteriora eius eſt humanitas ſtat flagellis cæſa, ſputis fœdata, cruce onerata, confixa clauis, ſpinis coronata; de quibus ore Dauidico præcinit: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores.* Quæ eſt petitio tua? Dei vultum intueri? eius gloriâ potiri? eius delectari beatitudine? Ad poſteriora conuertere, eius imitari ſtude veſtigia, curre poſt illum Euro velocior, hac enim ſtlo te ſcito peruenturum. *Quare vis delicatus, ad illud peruenire* (ait D. Auguſtin.) *ad quod Chriſtus non peruenit, niſi per crucem?* Idcirco ſe ſtatuit primipilum, vt videas, quod ſi illi hæc ſit tenenda via, non tam ſis mente delirus, vt tibi aliam velis ingrediendam. Hoc eſt, inquit, quod Chriſtus ſuis indicat diſcipulis: *Ad ipſum eos reuocat.* Quærit aliquis domum ingredi, & per parietes parat ingreſſum, illum manu retrahit alius: atque, Huc, amice, conuertere, en patet hic porta.

Exod. 33. 13.
a Hom. 12. in Cant.
b Ser. 14. in Cant.
Pſ. 16. 15.
Pſ. 128. 8.
D. Avg. Ser. 6. de verbis Domini.
T. 10.

Inſtituto noſtro maximè congruit hiſtoria regis Iehu, quam dictante Spiritu S. ſcriptam legimus. Accingit humeri Iehu, rhedam aſcendit, progreditur. In via venit illi obuius nobilis quidam nomine Ionadab: à quo dum quærit, quo tendat reſpondet Ionadab, eodem quo Dominus meus Rex. Itane? eodem mecum tendis? *Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo?* Reſpondet. Rectum, Domine mi Rex. *Si eſt, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum ſuam, at ille leuauit eum ad ſe in currum.* Claude latus meum, ad eum quippe locum, quo proficiſcor ego, hæc eſt via recta. Impleta eſt hæc figura hodie in Chriſto cum diſcipulis ſuis: & hoc ipſum vobis dicit, mihi & omnibus. Eſt ne tibi animus eo tendendi, quo ego primus proficiſcor? Cœlum petis? Aſcende igitur mecum currum iſtum crucis, laborum, cruciatuum, mortificationis, ieiuniorum: te mihi coniungi latuſque meum cingere oportet. Ad bolidem cadit, quod Dominus dilecto ſuo ait diſcipulo: *Qui vicerit, dabo ei ſedêre mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi.* Quomodo tu Domine in throno gloriæ conſediſti? poſt emenſos immenſos labores, mille perpeſſos cruciatus, iniurias toleratas, poſt grauiſſimam humeris meis crucem baiulatam. Si vos aliô ſedêre modo prætenditis: *Neſcitis, quid petatis.* Hæc notans D. Auguſt. declarat Chriſti verba ad Nicodemum: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis.* Quàm eſt hoc verbum obſcurum! ſi ſolus aſcendis, quia ſolus deſcendiſti, quæ nobis ſpes eſt aſcendendi? væ nobis. Voluit (inquit D. Auguſtin.) Chriſtus magiſtro illi Nicodemo grauem exponere Theologiæ quæſtionem. Eſt Chriſtus, caput noſtrum: *Ipſum dedit caput*, ſed nec caput abſciſſum, qui imo corpori nempe Eccleſiæ coniunctum: ſicut enim corpus influxus, vitamque ſumit à capite, ſic & à Chriſto corpus Eccleſiæ. Quando dicit Chriſtus, quòd ipſe ſolus cœlos aſcendat, ſuum non excipit ſeu excludit corpus. Intrare vis cubiculum, & ait caput tuum ac lingua: Domini: ego ſolus ſum ingreſſurus. Tunc tantum, caput ingredieris? Et brachia, & manus & pedes? Membra non excludit corporis, quæ illi adunantur.

4 Reg. 10. 15.
Apoc. 3. 21.
Ioa. 3. 13.

Audiamus ipſum Auguſtinum: *Non ergo illum ſolum, qui eſt caput noſtrum cogitemus, quando audimus Chriſtum loqui, ſed cogitemus Chriſtum caput, & corpus, totum integrum quendam virum. Nobis enim dicitur ab Apoſtolo Paulo. Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra. Et de illo dicitur ab eodem Apoſtolo. Quis eſt caput Eccleſia. Si ergo ille caput, nos corpus, totus Chriſtus caput & corpus.* Iuxta hanc igitur expoſitionem, ait Dominus nemo aſcendit in cœlum, niſi qui mihi coniungitur, ſicut capiti corpus, factuſque ſit mecum vnus per fidem, & charitatem. Ita vidit Spiritus S. ſponſam cœleſtia petentem, ſed vnitam ſponſo: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa*

D. Avg. in pſ. 58. in expoſit. tituli T. 8.
1. Cor. 12. Epheſ. 1.
Cant. 8. 5.

*ſuper dilectum ſuum.* Ita vt nulla nobis ſpes ſit cœlos ſcandendi, niſi capiti noſtro vnitis, factiſque membra eius ac corpus. An ne congruum foret, brachium diceret: in illam intrare nolim Eccleſiam, quò caput meum ingreditur, iſtud per illud, ego per oſtium alterum ingrediar. O miſerum brachium, actum eſt de te, cum non incedendo, quò pergit caput, nullam ab eo vitam ſis recepturum, nec, quo illud, ingreſſurum. Modò caput loquitur: *Ecce aſcendimus*, coniuncti procedimus, quo ego vado, conſiderate, qui caput ſum; mihi quippe coniuncti, eo eſtis, quò & ego, mecum aſcenſuri.

1. Similitudo.

☞ 13

Hinc lucem capiunt grauiſſima illa D. Pauli verba ad Philippen. Quædam ſupponit egregia ſua facinora, de quibus poſſet gloriari, cum apud vulgus illa magnifierent. Magnam ſuam literis claritudinem, actus celeberrimos quod natione Hebræus eſſet, res, tum temporis tanti nominis, quantæ modo ignominiæ, inter ſuos nobilis, inter infideles ciuis Romanus. Attamen hæc omnia, inquit: *Arbitror vt ſtercora*, illi tantum ſtudens, hoc ſolum cogitans: *Vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo.* Nota loquendi phraſim: *Inueniar in illo.* Hoc cogito, hoc exopto, hoc mea intereſt, vt in Chriſto inueniar, Chriſto vniar, Chriſto compagiuer. Quid hoc quæ hæc vnio, quæ coniunctio? Paulo clariùs explica: *Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius. Si quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.* Diuina ſanè verba. Percepto me Chriſto per fidem vnite tria per illam cognoſcendo. Primum: *Ad cognoſcendum illum.* Quis ille ſit, cui ſeruio, Dominus quem ſequor, dux: naturalis, veruſque Dei filius, pro me homo factus. Hoc primum eſt principium, quod velut ſectum quoddam ſupponendum eſt fundamentum. Secundum: *Virtutem reſurrectionis eius.* Hoc eſt, ſi mortuus ſit, ſua pariter virtute reſurrexit. Mortuus eſt vt homo, qui veram habebat hominis naturam, reſurrexit vt Deus, qui diuina pollebat virtute. Tertium: *Et ſocietatem paſſionum illius*, vt ſim paſſionibus mortique illius configuratus, ac conſociatus. En vnionis effectum; illi deſidero conſociari, cum in pœnis, tormentiſque comitari, difficile namque hæc conſeruatur vnio, ſi ſocietas nulla ſit paſſionum; ſi ipſo per viam dolorum incedente illam ego renuam ingredi, ſed optem quietis mollitiem, ſi ipſo per hanc ingrediente portam, ego aliam mihi quæram aperiri. Hoc me fides docet, hoc mihi cognoſcen-dum, ſi laborum ſocius non fuerim indiuiduus, ab eius me gloria diuidendum; taliſque ſit oportet hæc vnio, vt in me eius paſſionum, ac patientiæ quâ vſque ad mortem illas ſuſtinuit; figura exprimatur. *Configuratus morti eius.* Admiranda verba. In te conſpicienda veniat imago Chriſti paſſionum, illatas tibi patienter ſuſtinens iniurias, tibi irrogatas remittens calumnias, pro falſis in te teſtibus Deum deprecans; perferens paupertatem animoſus, morbis attritus, ſed inuictus; & hoc, inquit, meum eſt ſtudium, vt ſocius dum fuero cruciatuum, humilitatis, mortiſque crucis ignominioſæ, ſim & glorioſæ particeps reſurrectionis. *Si quo modo occurram, ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.* Perpendite verba. *Si quo modo*, q. d. multi ſunt gradus, modique reſurrectionis gloriam magis, alij minus illam inueniunt; illi verò damur, ſecundùm illos gradus, quibus in ſe quiſquam aliquid expreſſit mortis Chriſti, eiuſque paſſionis. Etenim ille gloriam conſequetur reſurrectionis ampliorem, qui in ſe Chriſti paſſionum imaginem prætulerit perfectiorem: hoc D. Paulus innuere videtur, dum ait: *Scientes, quod ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Nota coniunctionem: ſi amens ſit, illi in reſurrectionis gloria ſociari, eius te doloribus paſſionis oportet & ſociari: tantum etenim eris gloriæ particeps, quantum fueris paſſionis eius.

Philip. 3. 8.

Et hoc eſt (teſte D. Cypriano) quod dilectiſſimus Chriſti diſcipulus aiebat: *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Num Chriſti te reputas membrum? Num eius te profiteris diſcipulum? Num illi deſideras coniungi? Illius ne es? Noueris ergo, te cum illo oportere, & quâ ipſe ambulauit, ambulare. Hæc illa via eſt, quâ illuc peruenerunt, quotquot illic cum ipſo regnant, nec aliam inuenerunt. Oſtendit olim Deus chariſſimo ſibi D. Ioanni Sanctos in cœlo triumphantes: videt illos formâ decoro, facie venuſtâ, veſtitos albis, inſtar niuis, veſtimentis, quibus eſſent & palmæ in manibus, & in capitibus diademata. Tali Ioannes pulchritudine ſtupefactus, totamque Sanctorum ſpectans multitudinem, raptus, ecce vnus de ſenioribus, canitie venerabilis, accedens interrogat. Noſtin' ô Ioannes, qui ſint hi, & vnde venerint. Tu noſti, Domine, reſpondet; amabo, dicito mihi; vnde tanta illis beatitudo? *Hi ſunt* (ait) *qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.* Notate myſterium.

1. Io. 2. 6.

Apoc. 7. 13.

De

De magna tribulatione, multis conuitijs ſilentet toleratis, multis ieiunijs ſtrictiſſimis ad macerationem carnis inſtitutis, multis vigilijs aſperis, multis grauioribus morbis, paupertate multa, ærumnis multis. Illos intuere; lumina tua in illos defige, & videbis D. Laurentium de craticula aſcendentem, D. Stephanum de lapidum imbre, D. Ignatium, de vnguibus leonum, D. Chriſtinam de ſerpentum morſibus, D. Apolloniam de flammarum incendijs. D. Franciſcum de altiſſima paupertate, D. Dominicum de horrendis corporis caſtigationibus: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna.* Quâ tu igitur viâ ſperas imò præſumis te illò peruenturum?

Meritò miramur, id quod Eliud amicus Iob,
Iob 37.15. illi quondam ſoluendum propoſuit: *Numquid noſti ſemitas nubium magnas?* Ita notat D. Grego-
l.28. Mor. c. 24. rius: Barbarum ſonat. Quis nubes vias vidit vnquam perambulare? addo, ſi ſemitæ ſunt, quomodo latæ? Mentem erige (monet D. Gregorius) & intellige, non tam illum loqui de nubibus illis mortuis, quæ media aëris regione circumuoluuntur, quàm de alijs viuentibus. Qui ſunt hæ nubes, niſi ſancti? Tales vidit illos Iſaias
Iſa. 60. 8. leues, S. Spiritus impulſu agitatos: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* Numquid conſideraſti per quàm anguſtas perambulârint ſemitas Sancti ad cœlum, illòque tandem feliciter peruenerunt D. Petrus crucifixus, D. Paulus capite truncatus. D. Bartholomæus excoriatus. D. Matthias lanceâ transfixus, D. Iacobus gladio percuſſus. D. Iacobus minor in præceps deiectus, D. Andreas in cruce tranſuerſa defunctus. Tormenta perpende, quibus Chriſti martyres aſcenderunt, pœnitentiæ opera, ac vigilias attende Confeſſorum, mortificationes virginum obſtupeſce, ſemitas anguſtas, attamen illis fuerunt & latæ & magnæ: *Semitas magnas:* ex amoris enim latitudine, præmijque fiducia, cuncta parua, ac modica illis eſſe videbantur, vnde cum Dauide pan-
Pſ. 118. 32. gebant alacriter: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum; & Ambulabam in latitudine.* Quâ igitur tibi credis eò perueniendum. Hanc rectam eſſe viam opinaris, non niſi venari voluptates? Nec minimum verbulum ſurda aure pertranſire? Diebus veneris vel Sabbati non ieiunare? Carnis in omnibus appetitibus indulgere? vel leuiſſimam nolle perferre corporis infirmitatem? ne denarium pauperibus elargiri?
D. Chry. Ho. 66. ad popu. T. 5. *Tu* (audi D. Chryſoſto.) *neque Paulo melior es, neque Petro. Si vis eadem cum illis aſſequi, quid contrariam ambulas viam?* Accuratè dixit alter amicus Iob: *Numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco ſuo?* q. d. Numquid tibi adſcribis, quòd Deus in tui gratiam, mutabit in mundo diſpoſitionem rerumque ordinem? Quid tibi perſuades, quòd propter te centuria tranſuertet vniuerſi? Confidis tui cauſa regias ſemitas eſſe transferendas? Iob 18. 4.

Vocat D. Gregorius. Nazianz. crucem & laborem: *Regiam ad cœlum viam.* Primò: quia trita, diſpoſita, & ſignata eſt per ipſum Regem: *Via regia: quia conſtituta eſt à rege.* Secundò: quia ipſe Rex, omneſque eius aulici ac optimates eam perambulârunt. Tu iudex eſto, num conueniens ſit, aliam ipſe tibi praepares: *Numquid propter te &c.* Hæc igitur ſit ratio, ob quam Chriſtus duorum fratrum petitionem vt inconcinnam, ſtultamque reijciat: *Neſcitis quid petatis.* D. Greg. Nazia. Orat. de plaga grandinis.

Ea quoque de cauſa (teſtis eſt D. Leo) coram his duobus fratribus, repulerat Dominus D. Petri petitionem, dum in monte Thabor, eius gloriæ ſpectaculo delectatus, quo Chriſtus eos recreabat, ibi figere tabernaculum perpetuamque optabat manſionem: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Vbi hoc notat Euangeliſta: *Non enim ſciebat, quid diceret:* (confer illud. *Neſciebat,* cum hodierno. *Neſcitis.*) idcirco, nullum ei Chriſtus dedit reſponſum, hocque ſtatuit, vt vox de cœlis audiretur: quâ & ipſe Petrus, cæterique duo in terram proſternebantur: intempeſtiuum enim erat, bonis velle potiri cœleſtibus, nulla præuiâ laborum, pœnarumque tolerantiâ, quibus illam mereremur. *Huic ſuggeſtioni,* (loquitur ipſe D. Leo) *Dominus non reſpondit, vt intelligeremus, inter tentationes huius vitæ, prius nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quam gloriam.* Audi D. Ambroſ. de hoc iudicium: *Præpoſterè petunt:* primum etenim petunt, quod erat poſterius poſtulandum, inuerſo procedunt ordine: poſtremo quippe loco gloria prouenit, quam illi primo volunt collocare. Quocirca ipſe D. Petrus poſtmodum ſapientior, ipſam beatitudinem vocat: *Poſteriores glorias.* Numquid primæ ſunt gloriæ, numquid & poſtremæ? illas vocat: *Poſteriores,* comparatione tribulationum, ærumnarum, & crucis; quæ debent anteire: ſic enim hunc in Chriſto ordinem obſeruamus: *Prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones, & poſteriores glorias.* Hunc Chriſtus ordinem obſeruauit: ſi alium intenditis: *Neſcitis quid petatis.* D. Leo. Serm. de Transfigurat. Matt. 17. 4. 1. Pet. 1. 11.

Fuſè de hoc tractat argumento D. Auguſtinus hoc expendens. Quod licet in pluribus Dauid figuram geſſerit Saluatoris, qui in operibus, acti-

 buſ-

buſque heroicis, Chriſti præfigurabat actus heroicos, admirandaque facinora, particulariter tamen Chriſti expreſſit imaginem, in eo quod, licet ab vnctione ſua per Samuelem in Regem ſuper Iſrael ius habuerit regni, ita tamen Deus diſpoſuit, vt illud pacificus non poſſederit, niſi prius pluribus fractus laboribus, bellis fatigatus, perſecutionibus à ſocero Saule Rege in ſe iniuſtè commoto exagitatus. Hoc igitur quaſi ſecuro iacto fundamento, hanc proponit rationem: *Porro ſi ipſum caput noſtrum ſine primo peracto labore in terra, in cœlo regnare noluit, neque leuare ſurſum corpus, quod deorſum accepit, niſi per tribulationis viam, quid audent membra ſperare, capite ſuo ſe eſſe poſſe feliciora? Si patrem familias Beelzebud vocauerunt, quanto magis domeſticos eius? Non ergo ſperemus meliorem viam: quâ præceſſit, eamus, quâ duxit, ſequamur: ſi enim à veſtigio eius aberrauerimus, perimus.*

D. Aug. In Pſal. 51. In Princ. To. 8.

## §. 9. *Multò valet gloria, multo eſt labore comparanda, illo Sancti delectantur.*

☞ 14 Hom. 64. ad pop. Serm. 6. de verbis Domini.

1. Omnia non niſi labore comparantur.

Hinc duo colligit D. Chryſoſtom. a. Primum, quæ etiam D. Auguſtin. b. notauit, quod pene nobis omnibus dici poſſit: *Neſcitis quid petatis.* Maximè tritum inter homines eſt illud axioma, nihil eſſe in mundo, bonum reputatum, etiamſi minimum; quod non multo conſtet labore: nec enim agricola colligit ſine ſudore tritici granum, nec vuæ racemum, niſi vineam putet, aut fodiat, nec denarium mercator, niſi ſummâ diligentiâ ſua dirigat negotia, nec iota diſcit ſtudioſus, ſine nocturnis vigilijs, diurniſque ſtudijs, nec vel vnam litigans obtinet prouiſionem, & ſæpe ſibi contrariam, ſine ſollicitudine multa, ac denariorum expenſis: nec puella vllum venuſtatis veſtigium, niſi aciem ſuam miris modis excruciet. Quid igitur dicemus de iis quæ apud vulgus magni æſtimantur? Quæ munera, quæ itinera, quæ ſollicitudines infatigabiles, ad obtinendam honoris dignitatem? Quæ genuflexiones, ſubmiſſiones, moleſtiæ, conuitiorum tolerationes, longæ, ac tædioſæ exſpectationes, vt ſuam quis conſequatur prouiſionem. Solum ergo ipſum cœlum quæris gratis, ac ſine labore conſequi beatitudinem? *Neſcitis quid petatis.* Hoc in ore verſatur omnium, nedum mercatorum, ſed eorum quoque, qui tales non ſunt: multo conſtat, quòd multo valet; fert quippe mercator moleſtè, quòd pro re pretioſiſſima, ei vilum in pretium offeras. Si pictori pro imagine ad viuum elaborata, quatuor offeras denarios, reſpondebit: naſo me ſuſpendis adunco.

Quanti cœleſtis valet gloria? Iam hoc Dominicâ præteritâ diximus, ex Iſaia: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,* &c. Cuius verba ad amuſſim expendimus. Aſſerit idem Spiritus S. ex ore Salomônis: *Omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Eſt autem beatitudo: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Et hæc bona non ſunt talia qualia, ſed ipſius Dei bona, eius diuitiæ, eius gloria, eius omnipotentia, eius maieſtas, imo ipſe Deus: & quanta eſt inter Dei bona, ac creaturarum differentia, ac inter ipſum Deum, cæteraſque diſcrimen creaturas, tantum quoque diſcrimen agnoſcimus, inter felicem gloriæ ſtatum, & mundi tetius ſtatum etiam votis omnibus feliciſſimum, ac optatiſſimum: vnde quidquid in mundo inuenitur gloriæ, beatitudinis, voluptatis: *In comparatione ipſius arena eſt exigua.* Quocirca conſiderantes viri Sanctiſſimi regni illius maieſtatem; ſibi firmiter perſuadent, nec quoſuis martyrum cruciatus, nec Confeſſorum mortificationes, nec diuturnum eleëmoſynas, nec quidquid hoc poteſt in mundo tolerari, eius ſpectando naturam, æquale tantæ gloriæ pretium poſſe reputari. Hoc omnium ore fatetur D. Paulus, hancque ſtatuit concluſionem: *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Suo dignam ingenio proponit D. Chryſoſtomus rationem: quaſi illa Deus poſt exilia, carceres, calumnias, labores, ærumnaſque dicat electis ſuis prout illa autem; poſt mala multa perpeſſa Pharao Ioſepho edixerat. Videt Deus (inquit) quo labore ruſticus terræ ſuperet duritiem, quas non vires ſuas impendat eam paſtinando, aëris perferens iniurias, hyemis frigora, ventorum turbines, ſolis æſtuantis ardores; optimum ac electiſſimum domus ſuæ triticum ſeminans; & meſſis tempore, ſi ſit mediocris, præ gaudio tripudiat, ac bene labores eſſe ſuos impenſos, ſolutaque ſibi damna, ex percepta meſſe gratulatur. Attende mercatorem, qui, vt terrenas ſibi congreget diuitias, ſe maris, terræque libens exponit periculis, ac diſcrimini ne in pyratarum incidat manus, qui eas ſibi deripiant; aut, hoſtium qui vitam auferant; à domo, coniuge chariſſima, ſobole dilectiſſima ſeparatum non tædet vel diuturnam trahere moram: ſi forte, flante fortuna, decem lucretur millia ducato-

ducatorum; proh quantum gaudium, quam hilaris domum reuertitur; ma ris parui pendit perpeſſa pericula, ſudores, laboreſque menſos gaudet eſſe plus æquo compenſatos. An non ergo ex ratione, ſibi Sancti perſuadeant, quidquid in hoc mundo graue moleſtumque perferunt, aut perferre poſſunt, non eſſe condignum, tantæ gloriæ, tanto præmio, tanta, quâ perfruuntur, felicitate? Pleno proclament gutture, durioribus agitati cruciatibus, dicant vincula, verbera, carcereſque perpeſſi, teſtentur ieiunijs, carnis macerationibus, aſperiſque cilicijs mortificati: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis.*

Hoc nobis manifeſtat (teſte D. Chryſoſt.) Ioſeph Patriarcha; quibus non agitatus anguſtijs, timore, & periculis, dum eius fratres necem machinantur: Quibus non contractus terroribus, dum ſe in ſolitudine, immerſum ciſternæ ingemiſcit? Quas non eleganti forma iuuenis lacrymas fudit, quas non preces, quæ non ſuſpiria, vt ei fratres, compaterentur & parum erat, quòd non audirent deprecantem, inſuper & afflicto irridebant? Quis dolor cor oppreſſit, dum ſe à fratribus in ſeruum luget venumdatum Iſmaëlitis? Quis pudor in foro publico in ſeruum diſtrahi: Ægyptijs? quem alter coëmit, vt in domo ſua ſeruiat in cophinis; ad vilem reiectus ſordium euerſorem? Demum dum ſe ad inhoneſta à Domina ſua ſtomachatur ſollicitari, & in pudicitiæ ſeruatæ mercedem, in eum ipſa ſurgit coniux falſaria, ipſe coniugalis honeſtatis direptor inſimulatus, quo Dominus eius irritatus, lites ei mouet grauiores, ad vincula carcerumque vmbras vt proditor, infamiſque ſcortator ablegatur. Quo potuit modo tanta perferre? Quis credat ei tot coloribus vitam non eſſe finiendam? Erant omnes vt ictus pugionum, qui cor innocui iuuenis ſfoderent adoleſcentis: teſtante Dauid: *Ferrum per tranſijt animam eius.* Hoc erat illi vnicum fulcimentum;
Pſ. 104. 18. tantorumque cruciatuum lenimentum: quòd illi Deus in ſomnis regiam addixerat dignitatem, thronum iurauerat maieſtatis, in ipſos fratres futurum imperium: adduco pſaltem regium: *Eloquium Domini inflammauit eum* &c. Dum igitur vidit laborum ſuorum terminum, ſe cumulari diuitijs, honoribus ab ipſo rege decorari; hanc audit Pharaonis vocem: *Tu eris ſuper domum meam*, dum regium accipit annulum, dum curru regio per totam vehitur vrbem regali maieſtate clarus, & omnium acclamationibus, ac genuflexionibus præcone præeunte venerandus, priora cuncta; licet grauiſſima, nulla eſſe cenſuit, nec tantæ gloriæ, tantis diuitijs, tantæ condigna maieſtati: vnde primogenito ſuo nomen impoſuit Manaſſes dicens: *Obliuiſci me fecit Deus omnium bonorum meorum, & domus patris mei.* Tanta Gen. 41. 51.
namque ſunt bona, quibus nunc dominus gaudeo, vt eorum magnitudo præteritorum laborum opprimat multitudinem, iudicemque illos huic tantæ beatitudini non poſſe comparari. Si cruciatus adeò graues, ſi labores adeo diuturni, ſi pœnæ adeo moleſti Ioſephi iudicio tantæ condignæ non fuerint celſitudini, cum illa terrena eſſet ac temporalis, breuique peritura, quanto potiori iure, attenta cœleſtis gloriæ magnitudine, grauiſſimi quilibet cruciatus, & quos homo vnquam pertulit, duriſſimi labores, leues ſunt, & momentanei: *Non ſunt condignæ paſſiones* &c. Proinde, diligenter conſidera, quid, vt illa fruerentur, egerint, quæ tormenta ſuperarint, quibus pœnis fortiores, quibus ſe mortificationibus ſubiecerint, quot carceres illuſtrarint, fame enecti, quot flagra, plumbata, ſcorpiones, gladios, rotas, craticulas, lectoſque ignitos ſuſtinuerint patientes? Hoc huius fuit gloriæ pretium, aiunt nihilominus: *Non ſunt condignæ paſſiones.* Tu igitur attende, tu perpende quid pro regno des immortali, non Laurentij craticulam, non Stephani ſaxa crepitantia, non Andreæ crucem, non Ignatij leones, non Clementis exilia, non Martyrum grauamina, ſed nec Anachoritarum ſolitudinem, nec Franciſci vigilias, nec Dominici diſciplinas, nec Confeſſorum mortificationes. Quid igitur pro cœlo tradis obtinendo? Quid agis? Numquid illud delicijs, recreationibus, vanitatibus mens eſt adipiſci? Certè tale bonum vilipendis, in eorum numerum referendus, de quibus rex & vates: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* Vera loquar, te Chriſtus vt ſtultum Pſ. 105. 24.
redarguit: *Neſcitis quid petatis.*

Secundum: quod his conformiter ſignis atque doctrinæ, quam tibi dat Chriſtus viæ ad cœlum, te ipſum examines oportet, num illam ingrediaris, vel aliam tuæ perditionis, & damnationis. Non inconueniens hoc tibi foret exercitium, ſi te ipſum excuteres, à te ipſo inquireres; num viam rectam, vel prauam ingredior: *Vos metipſos* 2. Cor. 13. 5.
*tentate.* Hortabatur Apoſtolus. Attende num ſigna ſequaris, quæ tibi, qui viam optimè nouit, deſignauit. Detinetur quiſquam captiuus apud 1. Similitudo.
inimicos, nouit, vnicam tantum eſſe viam, quà ſaluus liberque redeat in patriam, qui autem illam probè nouit, illum de hac plenius inſtruens dicit. Per talem, chariſſime, terram procedes, & ad dexteram deflectens, flumini occurres rapidiſſi-

mo, illum oportet te tranſuadare, dein aſcenſum inuenies accliuem, ac moleſtum; poſtmodum ad iactum lapidis ſeſe tibi offerret aquæ ductus lapidibus aſper; dein declinans ad ſemitam tam anguſtam cruci occurres. Quando hic proficiſceretur, eaque diligentia, quâ peregrinus laborat ab itinere non aberrare, conſideraret, num datis occurreret ſignis, illorum autem nullum inueniret, quàm hæreret anxius, quàm melancholicus? Quoties ingemiſceret, heu me miſerum, aberro. Porro illis occurrens, quàm ineffabili gaudio perfunderetur, quàm lætus exclamaret? Fluuium cernens exultaret, licet enim tranſitum videret difficilem, attenderet tamen hanc rectam eſſe viam; aſcenſum deinde reperiens accliuem, quanto mentis illum iubilo ſuperaret? Tandem dum crucem conſpicit, quis verbis explicet cordis lætitiam? ex his quippe iudicat ſe rectum iter habere, rectaque ad patrios lares repedare. In hoc mundo inter inimices miſeri commoramur, crudelioribus aduerſarijs circumcincti, & nedum patimur exteriores, ſed & multo grauiùs, interiores; carnis noſtræ, rebelles motuſque inordinatos: omnes eo neruos ſuos intendunt, vt nos perdant, in hoc ſalus noſtra conſiſtit, vt in terram noſtram reuertamur, cœlum dico, ibi patrem agnoſcimus Deum, matrem Angelorum reginam veneramur, fratres, Sanctos omnes diligimus; qui verò viam hanc

Matth. 16. 24. apprimè nouit, filius eſt Dei, qui nobis eam de cœlo venit monſtraturus: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam &c. Si quis vult venire poſt me abneget*

Act. 14. 21. *ſemetipſum.* Ab eo diſcunt diſcipuli, quod apertè nobis proponunt: *Per multas tribulationes oportet*

Luc. 24. 44. *nos intrare in regnum Dei.* Hoc *oportet*, conuenit illi: *Oportuit*, quod Chriſtus duobus alijs ait diſcipulis: *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare.* Cuncti nobis prædicent, ſigna vobis veri itineris hæc eſſe, ſi tuo occurras proditori, calumniatori, tuo inimico, flagris, infamiæ, cruci, morti, ieiunijs, morbis, languoribus, mortificationibus, paupertati. Quando electi Dei, qui eo ſecuri tendere nitebantur, illis ſignis non occurrebant, ex animo triſtabantur. Nullus D. Ambroſio dies illuxit magis timendus, quàm dum ei omnia ex voto ſuccedebant. Numquam triſtitia Paulus abſorbebatur grauiori, quàm dum nullis occurreret aduerſitatibus. Tremebat Dauid dum ei luceret dies ſerenior: *Ab altitudine diei ti-*

Pſ. 55. 4. *mebo.* At illos videbis præ gaudio geſtientes quando præfatis ſignis occurrebãt, quando hinc à falſis, accuſabantur teſtibus illinc honoris iacturam incurrebant: modò diuitijs orbabantur, modò languoribus premebantur: *Placebo mihi in infirmitatibus*, clamabat ille tribulationum auidus: *In plagis, in carceribus, in ſeditionibus*, &c. 2. Cor. 2. Cor. 5.

Hinc illam proponit gradationem, quam tantopere miratur D. Auguſtin. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur*, &c. *Spes autem non confundit.* Hoc tantum infundit Apoſtolis cordis gaudium, vt de ijs legamus: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Perpendite verba: *Digni habiti ſunt*, Non enim omnibus, æquales conceditur labores tolerare: non ſunt enim omnes his digni, quia vt ait D. Cypria. *Ex Domini dignatione deſcendit.* Numquid tu mereris, vt cruci velut alterum Andream affigant? vt te lapidibus obruant, vt D. Stephanum? vt viuum ſuper prunas ardentes comburant cum D. Laurentio? An tu dignus vt ſagittis comes D. Sebaſtiano confodiaris? vt te indomitis equorum caudis alligatum in fruſtra diſcerperent cum D. Hyppolito? *Ex Domini dignatione deſcendit*: donum eſt Dei, quod non omnibus datur, ſingulare. Probè hoc nouerat inuictus Chriſti martyr D. Capraſius gloria Francorum, dum enim per Galliam Imperator Maximinianus ſpirans cædis ad ſuppliciorum in Chriſti diſcipulos, animam manuſque ſuas ſanguine polluit Chriſtiano, in ſpeluncam is ſe abdidit; non tam formidine pœnæ, quàm quòd ſe tanta martyrij gratia indignum eſſe iudicaret: vbi, vt audiuit, quo Deus beneficio virginem ſanctiſſimam Fidem affecerat, quo crudeliſſimi tyranni ſpreuerat minas inuictoque animo fide conſtans immaniſſimos ſuperauerat cruciatus, Martyrij palma nobilis; eiuſdem excitatus exemplo ac martyrij coronæ auidus, certamen tamen tam forte inire non præſumpſit, niſi poſtquam ſupplex: *Orauit ad Dominum, vt ſi eum gloria martyrij dignum iudicaret, ex lapide ſpeluncæ lympidiſſima aqua manaret.* Præces eius Dominus exaudiuit, & ecce de lapide duriſſimo, fons aquæ lympidiſſimæ ſcaturiuit, quo ſibi præſtitam Dei gratiam cognouit, vnde ad certamen intrepidus, adit Maximinianum, Chriſtum Dei filium coram eo profitetur, torquetur acerbiùs, moritur glorioſior ac lætior, quàm ſi ei ditiſſima regna, immenſaſque auri copias obtuliſſent.

Rom. 5. Act. 5. D. Cy. De Mort. Il. Exemplum. Bar. in Ma. tyrol. Ad 20. Octob. & Surius. Tom.

Hoc Dei beneficium reputate (monet, docetque Apoſtolus) quod vobis immiſerit tribulationes, quibus vobis certam ſecuramque reddit ad cœleſtia viam: tale Dei donum (inquit)

vt

vt illud nullis veſtris benemeritis, operibuſque iuſtitiæ, poſſitis obtinere, ſed illud vobis per immenſa Chriſti conceſſit merita, ſicut & donum fidei: *Vobis enim donatum eſt, pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Mirare copulam verborum, fides Chriſti, & pati pro Chriſto. Hæc duo connectit. Hoc vera ſupponit Theologia, fidem non cadere ſub merito, ſed eſſe donum ex Dei tibi beneplacito infuſum: *Fides eſt donum Dei, non ex operibus iuſtitiæ.* Donum quoque Dei credite, dùm vos ſinet pro ſui amore, veraque fide tribulationibus, perſecutionibus, pœniſque agitari. Hinc ortum eſt, quod Presbyteri & Diaconi referunt qui paſſioni S. Andreæ teſtis adfuerunt; dum cruci confixus; vidit populum eius ſanctitate permotum commoueri, vt eum cruce diſſolueret, cum eum nec precibus poſſet à propoſito dehortari, conuerſus ad Dominum rogauit vt inceptum beneficium perficeret, à cruce non ſe ſineret deligari: *Ne permittas me Domine de cruce ſolui.* Quod & obtinuit vt ſingulare beneficium; cum enim accederent eum vinculis ſoluturi, viribus ſuis eneruabantur, quotquot eum deligare conabantur: *Nullus poterat pertingere ad eum, ſtupebant enim brachia eorum, quicumque ſe extendiſſent ad ſoluendum eum.* Hinc illa vox, quâ tantopere perterruit Valerianum Laurentius, dum propoſitis ei ſæuiſſimis tormentis, ſcorpionibus, plumbatis, ollis accenſis, craticulis ignitis, trocleis, plumbatis, acutis cuſpidibus, tyranno reſpondit imperterritus. Noueris mortalium infeliciſſime: *Has epulas ſemper optaui.* In craticula verò ſuperpoſitus, ſe lætiorem oſtendens, quàm ſi molli recumberet culcitrâ, tyranno exprobrat: *Diſce miſer, quòd carbones tui, mihi refrigerium præſtant.* In eandem rapuit admirationem eius conterraneus cognatuſque D. Vincentius Tyrannum Dacianum: dum nullis tolerandis tormentis examinatus, alacri vultu præſidi reſpondet: *Hoc eſt quod ſemper optaui, & votis omnibus exquiſiui.* Et quò maiores ſatellites vires neruoſque cruciando martyri impendebant, eò ipſos vultu ad riſum magis compoſito, vt debiles, elumbos, effeminatos vellicabat: *Moras carnificum arguebat.* Hinc S. virgo Dorothea, cruciatibus ſæuiſſimis vlcerata reſpondit: *In omni vita mea, nunquam ita læta ſum.* Duo illi Illuſtriſſimi germani Romanæ flos nobilitatis Marcus & Marcellianus, ad extrema vi tormentorum redacti, dum eos Romæ gubernator hortaretur: *Reſipiſcite miſeri, & vos ipſos à cruciatibus eripite:* illi reſponderunt: *Nunquam tam iucundè epulati ſumus, & vtinam tam diu hæc nos Chriſtus pati ſinat, quamdiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus.* De S. Agnete tredecim annorum virguncula refert D. Ambroſius, quòd inter flammarum globos, laudes tanta mentis hilaritate Deo caneret, vt totam Romam raperet in extaſim: *Benedico, te Pater Domini mei Ieſu Chriſti.* Benedictus Deo martyr Ignatius impatientiùs dolebat, dum alios videret pro ſe apud tyrannum intercedentes ne eum grauiter iuberet cruciari, vnde multis id precibus inhibuit, dicens: *Ego ſcio, quid mihi expediat.* Audio pias S. Euphemiæ virginis querelas quæ magno dolentis affectu coram Tyranno querebatur, quòd alijs tormentis afflictis, illam liberam non exerceret, quæ ob generis ſui nobilitatem merebatur, volebatque alijs, in pœnis, cruciatibuſque anteferri. Quid dicam de illuſtriſſima virgine Romana Secunda, quæ, vt intellexit iuſſu Præfecti ſororem ſuam Rufinam flagris concidendam, ſe verò dimitti, ſic eum aggreditur: *Quid eſt quod ſororem meam honore, & me afficis ignominia?* Conſequenter ait D. Ambroſius. Parum erat SS. Martyribus ab ipſis tyrannis duriſſimis vexari ſupplicijs, ſed & ipſi his ſuperatis, aut vilipenſis addebant longè grauiora. Quocirca D. Petrus, vt præceptum audiuit Neronis, quòd crucifigeretur, inſtituit quantum potuit, & obtinuit, vt capite inuerſo crucifigeretur, quo moleſtior fieret ſibi cruciatus.

Philippen. 1.28.

Apud Surium de S. Andr. Tom. 6.

D. Ambr. Serm. 30. & l. 1. de Virginib. Tom. 5.

Lib. 1. de interpellat. c. 1.

Idem quoque perpendit D. Gregorius in Iob patientiæ ſpeculo, cum eum diabolus fœdiſſimâ reſperſiſſet leprâ, molem quæſiuit, addiditque quo eam magis exulceraret, putredinem ſaniemque effundans, non molliſſimo linteolo, ſed teſtâ ſaniem radebat, vt illa vulnera contrectans, eadem grauius irritaret: *Qui teſtâ ſaniem radebat.* Quid hoc rei viri fortiſſimi? horreſco referens. Hoccine vos demulcet, recreat, delinit? ipſa crux? gladius? feruentes ollæ? flammæ ardentiſſimæ? leones rugientes? demulcet ſanè: videmus etenim hanc eſſe ad cœlum viam, his obuiare tormentis, ſignis eſt occurrere veriſſimis; quæ nobis ille prædixit, qui nobis illam prædicauit magiſter, dux que veritatis. His congrua eſt D. Iacobi ſententia; mundi iudicio prorſus diſſona, quâ epiſtolam ſuam omni cultu digniſſimam, fidelibus conſcriptam exorditur: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Expende verbum illud (*omne gaudium*) q. d. ſupremum gaudium, tan-

Iob 2. 8.

Iacob. 1. 2.

na-

ta lætitia, quæ beatitudinis lætitiæ aſſimiletur: Hoc in vobis habete gaudium: *Cum in tentationes varias incideritis*. An hoc ergo ſit mihi materia gaudij, vt ambulans eum offendam qui mihi conuitietur? Vt occurram pœnis, morbis, languoribus? Quantum ſapio, quædam eximia tangit verba, quibus Iob amicis reſpondit conſolatoribus, qui hoc de eo ſentiebant, quòd in abyſſum quandam abſorptus eſſet triſtitiæ, ex nimiis in

Iob.3.21. illum ingruentibus afflictionibus: *Quaſi effodientes theſaurum, gaudentq; vehementer, cum inuenerint ſepulchrum*. Qui theſauros indagant, terram effodiunt, nihil illos plus recreat, quàm dum ſepulchrum inueniunt. Cur hoc igitur? Quid in ſepulchro niſi vermes, fœtor, pulueres inueniuntur? Quæ cauſa lætitiæ, ei qui theſauros quærit, ſi ſepulchrum inueniat, oſſibus, craneis, membris, vermibus ſcatens mortuorum? Olim, nedum inter infideles, ſed & inter fideles moris erat prætioſiſſimos quoſque theſauros recondere monumentis, in quibus cadauera ſepeliebantur, ſub corporibus defunctorum, & hoc pluribus de cauſis, quas modo non vacat explanare. De Salomone

l.13. de antiquit. c.15. & l.16.c.11. teſtatur Ioſephus, quòd in patris ſui Dauid mauſolæos tot abſconderit theſauros, vt ex illis Hircanus tria millia eduxerit talentorum, quinimo & multo poſt tempore Herodes reliquias eaſque

I. Theſauri olim ſepulchris recondebantur. plurimas opes, effodit. Hoc igitur modò, qui theſauros inueſtigabat, maximopere, ſi ſepulchrum offenderet, lætabatur. Licet enim fœtorem, pulueres, vermes, putrida reperiret cadauera, ſub illis tamen immenſas latere diuitias ſibi in animum inducebat, quas tanto ſudore requirebat. Ait igitur Iob amicis ſuis. Quid opinamini, chariſſimi, quòd quia putredini, ac vermibus occurrere, quia me pœdore, lepraq; cerno maculatum, quia me quaſi ſepulchro concluſum inuenio, triſtis ſim & mœrore conficiar? Fallimini: numquam enim mihi maius allatum eſt gaudium: ſum etenim, velut qui diuites, æternos, ſupremoſque ſcrutatur theſauros, quos Deus ſepulchris abſcondit incognitos, ſub languoribus, laboribus, morte, cruciatibuſque recondidit: hæc offendens exhilareſco, confidens me rectam tenere viam, vt illos mihi effodiam numquam perituros. Hos Sancti perſcrutantur, hos magni faciunt, imo pluris, quam omnes theſauros, gazas, mundique voluptates.

16 Hinc doctrinæ conuenit D. Paul. cuius verba

Ho. 26. in Epiſt. ad Heb. perpendit D. Chryſoſtom.: *Fide, Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filiũ filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias*

Heb.11. 24. *æſtimans theſauro Ægyptiorum, improprium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem.* Nemo ignorat, quid acciderit Moyſi, quem mater puerulum viminea ciſtæ concluſum Nili commiſit gurgiti, à filia Pharaonis periculo mortis ereptus adoptatur in filium, paterniq́ue regni heredem, atque vt talem ſummis delicijs, pompa, curaque enutriuit. At grandis factus, ſuperno illuſtratus ſidei lumine, paulatim huic cœpit renunciare celſitudini, publicè conteſtatus, ſe filium non eſſe, nec eſſe velle filiæ Pharaonis, proinde è palatio diſcedens, ſe Hebræorum coniunxit ſocietati, pluris faciens, famem, ſitim, labores, perſecutiones, quibus cum fidelibus premebatur, quàm cunctas delicias, voluptates, dignitates, diuitias, quibus in regis palatio potiri potuiſſet. Ai Moyſe regi palatio terga vertentem interrogaſſes. Quo tendis ô Moyſes? vt me populo meo fideli Hebræo in comitem adſcribam. An ergo tibi non liquet, quàm iniuſta opprimantur ſeruitute, quam grauiter cæſi, quantis ſpinis, dumiſque ac tribulis atterantur, quàm intolerabili penſo certoque lapidum numero ad opus vrgeantur quotidianum? In aula regia, delicijs, voluptatibus, diuitijs, honoribus ad luxum abundas: omnes te, velut principem, regnique ſuſpiciunt ſucceſſorem, hæcque deſeris, eoque tendis, vbi non niſi labores, anguſtias, flagra, iniurias pœnaſque patiaris? Vtique, illa ambio, reſpondet Moyſes, his inhio, ad hæc adſpiro, vtriſque namque inter ſe collatis: *Magis eligo affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*: Quis credat? quo duce duceris? Quis te eò dirigit? Fides: *Fide grandis factus*. Creuit cum annis fides, cui proprium eſt abſcondita reuelare;

Pſ.45. 5. hæc mentis illuminat oculos, quibus videam gloriam, diuitias, delicias, æternaque ſub ſentibus, laboribus, pœniſque latere beatitudinem: quibus inquam, ad lucem producam cœleſtem illam gloriam, qua illectus, theſauros gazaſque deſpiciam Ægyptiorum. Expendite verba: *Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*. O quales, erant illi Regis Ægypti theſauri, quorum ſe omnium heredem audit proclamari. Verumtamen illis valedicit, floccipendit, abrenunciat, pedibus ſubſternit, manuque arripit ſibi Chriſti improperium amoroſus.

Quærit D. Chryſoſto. Quid eſt improperium Chriſti? Vita eſt (inquit) repleta miſerijs, laboribus moleſta, perſecutionibus infeſta: pro bo-

nis

nis mala recipere, ob virtutũ actus condemnari, ſemitam percurrere pietatis, ob vitæ morumque integritatem pati contumelias, in ſtipite crucifigi. Hoc Moyſes elegit, hoc præ cunctis Ægypti theſauris pluris æſtimauit: præſciebat enim ſe à populo ſuo mille tribulationibus, laboribuſque fatigandum, quod & ſtatim à ſui principatus expertus eſt exordio: cum enim alterum eorum à violenta vindicarat oppreſſione, ille idem die ſequenti eum contumelijs appetijt, vitæque diſcrimini expoſuit nõ fugientẽ. Hæc votis omnibus eligit, Ægypti diuitias floccipendens. Et ex qua quæſo cauſa? *Aſpiciebat in remunerationem*. In eo fides ſumpſerat augmentum; ita vt, licet annis adoleſceret, magis tamen fidei chariſmate firmaretur: *Grandis factus* Cũ ipſa grandem habuit remunerationem, eo quod cum illa lucrabatur, & in temporali paupertate, diuitias inueniebat ſempiternas. In fame, qua dehiſcebat, cœleſtem cernebat ſaturitatem; in regni terreni cõtemptu, cœleſtium videbat regnorum poſſeſſionem: O fide viua illuminatos oculos! Hic conſpicit, hic detegit prœmij magnitudinem, illud conſiderans, terrena deſpicit, labores pœnaſque amplectitur & quaſi quibuſdam poſt illas alis volat celerrimus: hoc curſui addidi alas. Notanda ſunt quæ Dominica proximè elapſa diximus: quod prœmij conſideratio alas ſuggerat, ac volare faciat grauiſſimum etiam bouem, vnde D. Iacob. *Omne gaudium exiſtimate, cum* in ſepulchra, mortes, cruces, perſecutiones, variaſque tentationes incideritis.

Bona eſt hæc fateor alluſio, verum non inferior illa, qua ſentio D. Iacobum tangere verba illa myſtica Regis Dauid: *Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei*. Ad altiora contemplanda raptus, & præſcio ſpiritus quodam lumine ſingulari illuſtratus, conſiderat Dei chariſſimos, præſertim noui iuſtos teſtamenti. Et ecce hos omnes videt afflictos mortificatos exterres, omnes mundi perſerentes aduerſarias poteſtates; & in eos terræ Principum directa tormenta: attendit illos animoſos, omnis timoris expertes, diuino fauore roboratos, in quem omnis ſpei eorũ iacta anchora, illos audit Deo laudes concinentes: *Deus noſter refugiũ & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis; propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*. Tales ſunt, quibus vndequaque cingimur perſecutiones: tales, quæ nos premunt tentationes: tales, quibus affligimur, tribulationes, vt quid primum ſit, aut vltimum ignoremus. Hoc indicat: *Inuenerunt nos nimis*. Attamen nec timemus, nec timebimus: ſi namque impetus patimur graues maior atamen eſt, quæ nos roborat fortitudo, nempe diuina, proinde totus licet in nos inſurgat orbis adeo exulceratus, vt omnia inuertat, & qui nos impugnant marium fluctus decumani rugiant, terram demergant, montibus ad oram maris tremorem incutiant fortiſſimis, immobiles perſiſtimus, imperterriti, & quod nos timore percutere debuerat abſit vt incutiat terrorem, quin maioris nobis eſt cauſa lætitiæ, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. Audiunt iuſti, *Ciuitatis Dei*, cœleſti eius adeo præſidio ſuffulti, vt hoc eis animos excitet, nempe fluminis impetus rapidiſſimi quod ſua origine proſiliens alueoque profluens, in illam impingat. Altiſſimum myſterium. Vix aliquid grauiorem incutit metum ciuitati, quàm dum fluuius eam circumfluens, ac lætificans, decidentibus imbribus increſcit, eoque modo inflatur, vt oras ſuas egreſſus toto in illam ruat impetu furioſus. Quo igitur ſenſu ille, Dei lætificat ciuitatem? *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*.

III. Similitudo.

Licet hoc nomen flumen abſolutè ſumptum ſignificet fluuium in genere, nec hunc nec illũ denotans: ſæpius tamen in ſacris litteris indicat Nilum fluuium. Ita David de Salomone præcinit: *Dominabitur à mari, vſque ad mare, à flumine vſque ad terminos orbis terrarum*. Et vates Hier. *Quid tibi vis, vt bibas aquas fluminis*. Tantus autem legitur eſſe huius fluminis impetus, vt ſemel per annum nimiis pluuiis adauctũ alueo egrediatur. Videtur autem tum totam velle terram Ægypti peſſumdare, eiuſque obruere ciuitates, ita vt eiuſdẽ augmentum non leuem videatur incutere debere metum vniuerſis; abſit autẽ vt hoc ita ſit: quin potius ex eiuſdẽ inundatione tota pendet Ægypti lætitia: in illa namque aliæ non ſunt aquæ, non alij fluuij, præter illũ, qui dũ alueo egreditur, ripaſque ſuperat totam terram inundat, ipſa verò terra his aquis inundata quaſi boum ſtercore fœcundatur, ex eâque meſſis dependet prouentus, ita vt quò altius terra Nilo inundatur, eò meſſis ſpes adſit fœcundioris. Quando fluuij argumentũ modicum eſt, paruã ſpem futuræ meſſis concipiunt, mediocris autẽ ſperatur, ſi eius mediocre ſit incrementum; at verò centuplæ meſſis ſpe lætantur, dum pleno gurgite aquæ copioſæ & altiſſimæ cãpos & arua longè lateque contegunt turbulentæ. Facilis eſt applicatio, cum notũ ſit in ſacra pagina, aquas præſignare tribulationes, perſecutiones, famem,

Pſ. 45. 5.

Pſ. 71. 18.

Hiere. c. 2. 19.

IV. Ex Nili inundã in ſpes accreſcit meſſis.

famen, ignominiam &c. Hæ viros iuſtos non contriſtant aquæ: nouerunt enim ex illarum patientia, gloriæ meſſem fœcundari, tantoque futurum amplius præmium, quantò labores in Dei obſequium tolerati fuerint grauiores, quocirca ad altius fluminis incrementum, Dei ciuitatis gaudio tripudiat vberiori, quàm iuſti animam intelligimus. In ſpem ergo erigere, quò fuerint pœnæ toleratu difficiliores, eò frueris & hauſtu gloriæ cœleſtis pleniori: hoc innuit D. Iacobus: (Iacob. 1.2.) *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in varias tentationis incideretis.* Veſtrum creſcat gaudium, dum creſcit tentatio, dum omnes in te cernes nubes irruere, tantoque impetu proſilire, vt nemo dixerit, illis poſſe vi vlla reſiſti, dum te Principes perſequuntur, te captiuum ducunt apparitores, te veſtibus exuunt ſatellites; te flagellis cædunt, dum hic tibi bona diripit, alter honorē ſugillat, dū te paupertas angit, ignominia deiicit, carceres conſtringunt, aduerſarij multiplicantur, increſcit neceſſitas: *Omne gaudium exiſtimate.* Quàm accuratè Dei electos deſcribit Moyſes, in perſona Tribus Zabulon, & Iſſachar, (Deut. 33.) de illis hoc prædicens elogium: *Immolabunt victimas iuſtitiæ qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.* Prouidum ſuſpicite populum. Cuius erit hoc exercitium, Deo victimas litare, amariſſimas maris vndas, turbatoſque fluctus, quaſi dulciſſimum lac exſugere, quibus abſconditos arenis theſauros expiſcantur. Quis pro merito hanc exponat prophetiam? Nemo: Illam tamen gaudemus in Dei ſeruis eſſe ad amuſſim impletam: hi namque Deo victimas inceſſanter immolant carnis ſuæ, ſub iugo rationis illam reprimendo, male compoſitos refrœnando motus, illicitaſque voluptates, nominatim autem Martyres, qui velut multa ſiti anheli dilatato ad palmi latitudinem ore, vt aquam ſuauiſſimo de fonte bibant bullientem accurrunt, ita & illi properant vt hauriant, velut lac dulciſſimum, inflatas illas terribileſque vndas minarum, tormentorum, perſecutionum, quas tempeſtuoſum illud, vt mare, cor tyrannorum in Dei martyres deſpumabat, ex his autem effodiebant ſibi theſauros ſub arenis abſconditos.

§. 10. *Tam feſtino gradu procedit Chriſtus, vt mirentur, & timeant Apoſtoli.*

☞ 17 MEntis oculos clarius fel piſcis illuminat, piſcis illius cœleſtis, in eo quod ait: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis.* Quo demōſtrat, quis ille fuerit, à quo motus tā celeriter inceſſerit, vt breui tempore percurrere valuerit, tot quot vates prænuntij ſemitas viaſque deſignarant. Hoc autem vltimū fuit iter, quo perrexit in Hieruſalem. Præteritis paulo ante diebus cum Iudæi lapidare feſtinabant, quocirca ſe periculo ſubducit & petit Galilæā. Hinc cum ſorores Lazari euocarunt; agitque cum diſcipulis de repetendo Iudæam, licet illis ab eo diſſentientibus, qui terrore lapidum etiam tum timidi, ab incepto eum conabantur diuertere propoſito: *Nunc volebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* (Ioan. 11.) Reuertitur igitur Chriſtus, & toti mundo notiſſimum patrat miraculum, quatriduanum Lazarum reuocat ad vitam, tot circumſtantiis irrefragabilibus, vt ſe ſuperatos eſſe inimici, vel inuiti faterentur: vnde cum nec eius poſſent honori derogare, concilium cogunt vniuerſale, præſide Caipha, quo eius mortem communi ſuffragio, concluſerunt. Quo cognito Chriſtus ad terram Ephrem circa Iordanem ſecedit, ibique ad paucos dies diuino conſilio latet incognitus inimicis. His elapſis, ſciens quia venit hora eius, vt noſtræ ſaluti per crucis mortem imponat cataſtrophen, ipſe proponit ire Hieruſalem, velut ouis ad lanienam; in eum autē finem tam publico graditur itinere, tot in eo mirabilia operatur, vt turbam poſt ſe trahat infinitam; ac tantam vt & ipſe Zachæus pigmæus, ad eius introitum in Iericho arborem aſcenderit, Chriſtum viſurus ingredientem. Chriſtū quoque comitabantur, religioſæ quædam mulieres, nominatim vxor Zebedæi mater Iacobi & Ioan. Hoc in itinere ſe Saluator ſtatuit antiſtitem, tamque celeri progreditur pede, greſſuque duplicato; vt velut ob modum à grauitate, ac modeſtiæ conſueta alienum ſtupuerint, timuerintque diſcipuli, qui inter ſe colloquebantur: dicentes: Quæ hæc, præter morem, tanta magiſtri itineris acceleratio? Deinde, timere cœperunt, ſuſpicati, num fortè Hieroſolymam tenderet, vbi certò nouerant, eum iam à concilio generali nigro calculo damnatum & publico per vrbis plateas præcone indictum, ſi quis noſſet vbinam eſſet, indicaret vtique capiendum; ita teſtatur D. Ioan. (Ioan. 11.) Hoc autem innuit D. Marc. (Marc. 10. 32.) *Erant autem in via aſcendētes Hieroſolymam, & præcedebat eos Ieſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant.* Vt autē hoc Chriſtus agnouit, quem nihil latebat, Aſſumens diſcipulos dixit eis: *Quæ ei eſſent euentura.* Loquitur: Noſtiſne? quò tendamus? Noſcite, quia aſcendi-

cēndimus Hieroſolymam, vbi conſummabuntur
omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio
hominis; tradetur enim Principibus (illi quippe
in eius iam necem conſpirarunt) vt in eo exco-
gitatum exequantur conſilium.

Hic credo vaticinium impletum Iſaiæ: *Et ti-
mebunt qui ab occidente, &c. cū venerit quaſi flu-
uius violentus, quem ſpiritus Domini cogit.* Time-
Iſai.59.19. bunt dum venerit, timebunt dū eum. *Quaſi flu-
uius violentus*, tanto videbunt impetu proceden-
tē, quem vehemens impellenſque ſpiritus Domini
cogit, agitat, excitat. Fluuius in mare decurrens,
hominem ſignat, ad vltimam metam properan-
tē: quod & ipſa mulier Tecuitis nouerat dū Da-
2.Reg.14.14. uidem exorat: *Omnes morimur, & quaſi aquæ di-
labimur.* Magno decurſu rapitur ex ſcaturigine
fluuius, ſeu aqua decidua, vt cuncta vaſtare velle
videatur. Si hanc inſuper ventus impellat vehe-
mentior, tam rapido defluit curſu, vt in admira-
tionē rapiat ſpectatores, vt notat Dauid de aliis
Pſ.125.5. loquens: *Sicut torrens in Auſtro.* Neruosè Chri-
ſtū delineat, ſupremum fluuium, fonte manantē
virginali. Ad mare mortis fluit, fluit rapidè, fluit
feſtinatò, ex noſtræ ſalutis deſiderio, quo velut
ſpiritu Domini agitatur violento: *Quem ſpiritus
Domini cogit*; amore, inquam, velut calcari pro-
uocatur, vt muros tranſiliat, ſuperetque propug-
nacula; tam celeri paſſu feſtinat, vt timore non
mediocri diſcipuli percellantur: *Timebunt, qui ab
occidente, &c. ſequentes diſcipuli timebant.* Quis te
Saluator impellit, quis currenti calcar addit? e-
xultas vt gigas ad currendam viam, vt hac te
gradientem via comitari, videam poſſe neminē.
Ita hoc, illis his verbis indicauit: *Ecce aſcendimus
Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia.* Primū
illis quaſi digito ad oculum, futurum prænun-
tiat: *Ecce*, vt eum Deum eſſe credant qui hæc no-
uerat tā diſtinctè, quaſi qui omnia diuinis ſuis
oculis haberet præſentia, qui verò ſic futura
Iſai.41.23. prædicit, vt Deus adoratur: *Annuntiate quæ ven-
tura ſunt in futurum & ſciemus, quia Dij eſtis
vos.* Nota verbum, *ſciemus*: materiam enim do-
ctrinæ Theologicæ præbet ampliſſimam. Paucis
ante diebus euenerat, quòd præfati ſumus: dum
enim Iudæa excedens, Galilæam petierat, eum-
que inde Martha ac Magdalena in fratris La-
zari ſubſidium euacarant, iamque iter eò ſuſci-
peret, opponunt ſe diſcipuli, capitis ei proponunt
periculum, quod iam pridem vix euaſerat; tum
illis expoſuit nihil eſſe quod timeant, omnia tu-
ta, quæ ipſe præuidebat, euentura.
Ioan.11. Hoc verbis illis ſignificauit: *Si quis ambulaue-
rit in die, non offendit.* non titubat qui videt vbi
pedes figat q.d. oculi mei diuini ſunt, quibus a-
perta nudaque ſunt omnia. Nunc verò dicit,
aſcenſum hunc ſuum Hyeroſolymam alio fu-
turum modo: capietur enim, tradetur Principi-
bus, Gentibus Iudæis, illudetur, conſpuetur, fla-
gellabitur, coronabitur, crucifigetur: hæc autem
illis ita diſtinctè prænuntiat, quaſi oculis cernat
ſibi præſentia: *Ecce aſcendimus Hyeroſolymam, &
filius hominis &c.* Qui oſtendit, ac declarat ſe tā
perſpicacibus valere oculis, ſole clariùs patet, eū
eſſe Deum, de quo D. Paul. *Et non eſt vlla crea-* Heb.4.13.
*tura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia autem
nuda & aperta ſunt oculis eius.* Cui conſonat Sa-
lomon: *A ſæculo, & vſque in ſæculum reſpicit.* Et Ecc.39.25
quod vt talis, ſicut prælibauimus, nihil haberet,
vnde ſibi mortem formidaret; nunc autem ait,
eam à ſe per manus Iudæorum, atque Gentilium
eſſe perferendam, & quidem ignominioſam.

Secundùm: vt omnibus ſit propalam, quod
nulla vi coactus moriatur, ſed voluntate tam in-
tegra liberrimus, vt ſuos ipſe egreſſus ad mor-
tem conſideret: *Aſcendimus.* Non dicant, quòd
nos cogant, ſed quòd *Aſcendimus.* Pergit infini-
ti meriti ac immenſi valoris ſacrificium oblatu-
rus: quia verò ad hoc primùm requiritur, vt ſit
voluntarium, iuxta illud D. Pauli: *Non ex triſti-* 2.Cor.9.7
*tia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem dili-
git Deus*: & Dauid: *Voluntariè ſacrificabo tibi.*
cunctis liqueat hoc eſſe illud ſacrificium, quod-
que potuerit Dauid in eius perſona Patri confi-
teri: *Ecce venio vt faciam voluntatem tuam*; de Pſ.39.8.
quibus aliàs plura diximus.

### §. 11. Conſummabuntur omnia. *Paucis ho-ris compleuit ea Saluator, quæ quinque mil-le annis erant delineata, illum namque amor excitabat.*

TErtiò, tam celeri progreditur pede, tanta- 19
que diligentia, multum enim illi reſtat
itineris, vrgetque tempus, paucis quippe
horis implere debet, & pertranſire, quidquid
Prophetæ dixerunt, ſcripſerunt, deſignarūt; de-
pignorari verba cūcta ac promiſſa, quæ per eorū
ora iurauerat, vt nec apex vel vnicus ſit, qui non
exactè perfecteque compleatur, percurrere ipſe
ſolus nec quidem vnius diei tempore, quidquid
illi quinq; mille annis præſignarunt. *Ecce aſcen-
dimus Hieroſolymā, & cōſummabuntur omnia, quæ
ſcripta ſūt per Prophetas de filio hominis:* Quid ita
cōtēdis ô Domine? Implere feſtino, quidquid de
me Prophetæ præcinerūt. An ad hoc ita properā-

 dum

dum dicere licebit: Magnam ſiccitatem excipit nymbus, (*a*) Quanto tempore cecinerunt Prophetæ? quinque mille anni: quia ab ipſis mundi cunabulis cœperunt in Adam, qui primus grande illud prædixit Sacramentum, quod ait D. Paul. 5. omnes pariter Prophetæ prædixerunt, vt ne vnus quidem ſit qui de Chriſto non ſit vaticinatus: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.* & iterum: *Prophetæ prænuntiabant de aduentu iuſti* Numquid ergo tantillo ſtudes tempore perficere, quod tot millenis annis fuit delineatum? facilius eſt multò, dicere, quàm facere, & opus delineare, quàm perficere, ita vt minus quadrante poſſis delineare tantumque opus præſignare, vt ad illud peragendum centum anni requirantur. Paruo tempore dixit Noë Dominus, tradiditque figuram arcæ, quàm tamen annis centum fabricauit. Si quod vna dicitur hora, plurimos requirat annos; id quod quinque mille annis dictum fuit, quâ ratione illud paucis contendis horis operari? Ne mireris: audi Prophetam, *Quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit.*

(*a*) *A grã ſeca, gran moj ada.*

Epheſ. 5.

Acto. 10. 45.

Acto. 7.

Iſa. 59. 19

4. Reg. 3. 16.

I. Allegoria

Alludit, vt opinor, illi aquæ ductui Prophetæ Eliæ. Duo Regij exercitus per arentia locaque inaquoſa gradiebantur, ſiti milites exareſcebant, deficiebat aqua, & quid agerent omnino ignorabant. Ad Prophetam confugiunt, & multis vltro citroque interiectis: (*a*) iubet Propheta: *Facite alueum torrentis huius foſſas & foſſas.* Torrentem implent, hinc illi, alij inde, vt multo tempore occuparentur, multiſque tandé foſſis compoſitis, proſilit quaſi de alueo torrens aquis largiſſimis, tempore ſacrificij, tantoque fluit impetu, vt momento temporis cũctas impleuerit foſſas, & ne vna quidé eſſet, quæ non largiſſimis aquis exundaret. Explico figurã. Omnes Prophetæ in S. Scripturæ torrente foſſas & foſſas effoderunt: *Foſſas & foſſas*: alij alijs profundiores, illis hi plura ſcripſerunt, modò illi, modò alij, quidã in hac, alij in alia regione. Nunc verò, dũ inſtat hora magni illius ſacrificij, tanto fluit impetu, tanta abundantia fluuius, vt omnes foſſas impleat, vt etiã minima quæque de Chriſto Prophetia perfectè compleatur: *Conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas &c.* Ne obſtupeſcas: ſtimulo agitatur amoris violento: cui propriè conuenit diligentia. Hoc intereſt inter ſapientiã & amorẽ: quòd in ſuis actibus ſapiẽtia ſit prouida, proinde moroſa, & paulatim procedat: confert enim vnũ alteri, omnia trutinat, metitur, & certa proportione deliberat. Amor autẽ ignis eſt, cui velocitas, & ſuper omnia, maxima congruit actiuitas vt in glande plumbea quotidiana docet experientia. Præſignare per manus, linguas, calamos, & ora Prophetarum, noſtræ myſteria redemptionis, diuinæ adſcribitur ſapientiæ, illa ſola Prophetarum potuit componere oracula, vt ſuis verbis ac ſententijs prædicerent, vel operibus præfiguarent noſtræ ſacramenta redemptionis. Declarat D. Aug. duo eſſe genera Prophetarum, alij verbis, operibus alij vaticinantur. Operibus Prophetæ, ſi erunt veteres illi Patriarchæ, qui ſuis operibus filij Dei venturi in mundum opera præfigurarunt. Adã ſuo cum Eua matrimonio, Abel ſuis ſacrificiis, ac cruenta morte, Noë ſua arca, Abrahã & Iſaac ſuis oblationibus, &c. Scriptis verbiſque Prophetæ recenſẽtur Iob, Moyſes, Dauid, Iſaias, &c. Hoc egit ſumma Dei ſapientia, vt omnes hos Prophetas ita compoſuerit, vt inter ſe conuenirent, qui licet diuerſis vocibus, conſonam tamen perficerent melodiam, ac multigenis coloribus, imaginem formarent numeris omnibus abſolutam. Cum autem illud fuerit diuinæ opus ſapientiæ, multi præterfluxerunt anni, tot, quot ſibi inuicem per varias ætates ſucceſſerunt vates illi, in quorum cũ dictis, tum operibus, hæc erat figura obumbranda, proinde quinque mille anni ſunt interlapſi. Noſtræ verò opus ſaltationis, opus fuit amoris: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Propter nimiã charitatem ſuam, qua dilexit nos Deus.* Quocirca tam feſtinatò, diligenterque Chriſtus in eo proceſſit; vt octodecim horarum tantum tempore, quidquid illis quinque mille annis prædixerant Prophetæ, cõſummarit. Mos inualuit in quibuſdã ciuitatibus ignes excitandi feſtiuales, diuerſis de cauſis, velut ad Regis ingreſſum, ac in cõmunibus, publiciſque gaudijs &c. Moliuntur tũ aliqui machinam caſtri cometarum; multi ad hoc conueniunt miniſtri, quos ſuperiores, inferiores alios deſignant, quoſdam qui per aëra volant, alios qui tonitrua excitent: puluerem tormentarium chartis concludunt, illas bis ter complicant, quas per totum caſtrum fictitium ſuſpendunt, multos dies huic operi faciendo impendunt, ſicque cuncta diſponunt, vt ſibi inuicem correſpondeant, & ſit de vno ad alterum tranſitus, vt ignis de vno peruolet, & ſuccendatur in altero. Cum iã feſti adeſt hora deſignata, ignem ſuccendunt, & in ictu oculi tranſuolat ignis de vno ad alterum, omneſque chartæ complicatæ diſſoluuntur, puluis eis incluſus euaporatur, vt ne vna prætereat, quæ ſonum non excitet ſtrepitum, omneſque pariter tam horrẽdum

(*a*) *Deſpues de dadas y preſas.*

L. ... q. ...

Ioan. ...

Ephe. ...

II. Simili-do

dum

ctum excitatæ tentiren vt mundū dixeris interire puluere, qui reconditus erat, proſiliente nocte in lucem diemque conuerſa. O quantum erectum eſt caſtrum prophetarum, quot ignes verba, miſſiles quot, quot metaphoræ, quot veterum opera Prophetarum noſtræ redemptionis Sacramenta contegebant! Quanta omni ex parte, omni tempore differentia prophetiarum! Et quot annis efformando huic caſtro artifices inſudarunt! Modò verò, feſti prægnãtis horâ, ignis in pectore accenditur Saluatoris, nouo amoris incremento, prout innuit D. Ioannes: *Sciens Ieſus quia venit hora eius &c. cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo in finem dilexit eos.* Amor ille tantâ Chriſtum vrſit diligentiâ, vt pertranſierit omnes illos ignes miſſiles, cunctaſque flammas volatrices, omnes diſſoluerit, puluerem eduxerit prophetiarum latentiumque Sacramentorum, factus lux: *Ego ſum lux mundi,* ita vt octodecim horarum ſpatio, nempe ab hora nona diei Iouis veſpertina, qua capiebatur, vſque ad tertiam diei Veneris veſpertinam, qua moriebatur, omnia percurrerit in horto exorſus, & in cruce conſummarit: *Conſummatum eſt.* Ioan.c.13. 1.

## §. 12. *Cunctas ſua paſſione Chriſtus prophetias viuificauit, & miſcuit quaſi fermentum; fidei noſtræ maximè conueniens.*

☞ 10 Abac.3.2. HOc omnium nomine Prophetarum, imo & totius generis humani ſupplicabat Abacuc Propheta in illo tam ſolemni quã difficili Cantico: *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Prototypon Domine adeo diuinum ac cœleſte delineaſti, quod per ora tuorum diſpoſuiſti Prophetarum, opus tot tamque præclaris circumſtantiis adornatum; iam iacta ſunt fundamenta per tot manus artificum, quot te vates tui præcurrerunt, caſtrum exſtruxiſti ſpiculis igneis, vaticiniis, ſignis, ac figuris diuinâ planè ſapientiâ circumcinctum, vt meritò cognomen acceperit, diceretúrque illud eſſe, *Opus tuum,* dicere, & primum deſcribere, quidquid poſtmodum eſſet faciendum, vt oculis pateat, nihil caſu, nihil euenire non præmeditatum. Hoc præſignificauit (interprete Theophilacto) idem Propheta his verbis: *Ante faciem eius ibit mors:* q.d. in omnibus quæ per Prophetas aut diſponebat agenda, aut futura loquebatur, mortem ſuam meditabatur, vt ipſi quidquid pateretur, prænuntiarent. Notat autem quòd Septuaginta legãt: *Ante faciẽ eius ibit ſermo:* q.d. quidquid agendum erat, præuenit, illud expreſſis, clariſque verbis prænuntians; vt omnes teſtentur, omnia concordi ſapientia ac vniformi peracta eſſe conſilio: Huic concinit Amos Propheta: *Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.* Amos 3,7.

Domine, precatur vates, viuifica corpus illud prophetiarum: *Domine, opus tuum, viuifica illud.* Intret in illud ſpiritus vitaque eius quod operaris; ſicut autem anima corpus informante, toti illi vitam infundit, vt ne vel ſit capillus ad quem vitæ ſpiritus non pertingat, ſic quoque ſpiritus prædictiones informet Prophetarum.

Puto meminiſſe vatem oſſium aridorum Ezechielis. Videt ille diſperſa per campos oſſa arida: Age ô Propheta (inquit Deus) viuentne oſſa iſta? Tu Domine, noſti. Eia igitur, intret in ea verbum meum, & ſtatim reuiuiſcent: *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus & vixerunt.* Oſſa arida prophetias eſſe dixero, quibus fides noſtrorumque nititur probatio myſteriorum: hic vna, ibi altera, vna in paradiſo terreſtri, foris altera, quædam in Chaldæa, quædam in Babylonia, quædam in Hieruſalem, quædam in Tecua, quædam in Damaſco, quædam in Niniue, quædam in maris abyſſis, cetique ventre, hinc inde diſperſæ. Incarnatum cœleſtis Patris Verbum adit Hieruſalem, & ecce his aridis ſpiritum inſpirabit oſſibus, complens omnia ad vltimum vſque legis apicem. Ezech.37.

Hoc eſt illud fermentum (dicente D. Ambr.) cui ſeipſum Saluator ſuamque comparat incarnationem: *Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus.* Maſſa eſt indigeſta, dura, inſipida, cui fermentum non immiſcetur; illa verò permixta fit ſapidiſſima ex qua panis piniſtur optimus, ad corporis alimentum: Hoc eſt, ait Chriſtus myſterium regni Dei, hoc eſt, quod operor, Sacramentum. Maſſa digeſta erat farinæ ſatis tribus, tribus ordinibus Prophetarum: quorum quidam operibus, vt Patriarchæ, quidam verbis vt Prophetæ, quidam ſcriptis, quia omnes de Chriſto prædixerunt, operibus, verbis, ſcripturis. Erat autem hæc maſſa incompoſita, dura, proinde nec ſaluti, nec guſtui ſalutaris. Veniat regnum Dei, deſcendat vnigenitus coæqualis Patri, fiat fermentum, fiat homo, maſſæ commiſceatur, cui fermentum, hoc ſuæ paſſionis acerbum coniungatur, & fiet panis ſapidiſſimus, ſaluberrimus, dulciſſimus, opus noſtræ ſcilicet Ser.5.de parab.fermenti. Matth.13. 33.

redemptionis. *Conſummabuntur omnia quæ dicta ſunt per Prophetas.* Hic eſt ille panis (teſtatur D. Ambroſ.) Eccleſiæ Chriſtianæ. An non recordaris (quærit D. Ambroſ.) eius quod Chriſtus ait, de duabus mulieribus ſimul triticum molentibus: *Vna aſſumetur, & altera relinquetur*: vna perdetur ac morietur, altera vita viuet incolumi, & proſpera? Licet enim ambæ farinam habuerint, vna fermentum habuit, illudque ſuæ maſſæ contemperauit, & panem vitæ ſibi pinſit, altera verè panem ſuum noluit fermentari, ſed illum ſemper comedit azymum, hoc ſuâ feſtâ celebrauit Paſchalia, proinde panis ille tam indigeſtus tamque crudus eam præfocauit. Hæc illa Iudæorum Synagoga, quæ, fateor panem habuit de cœlo, vatum oracula intelligo, de quibus ſuam compinſebat maſſam, doctrinam ac fidem, ſed Chriſti redemptionem noluit, repulit fermentum, quòd iſta fermentabat oracula. Hinc ſemper eius ſtomachus cruditatibus laborabat, vitæque carebat alimento, ſua periit indigeſtione panis ſui azymi, quem vſque in hodiernum diem ſtomacho retinet non fermentatum. Eccleſia verò Catholicâ præſidio ſibi ſumit hoc fermentum, vt maſſam ſuam fermentet; id eſt, Chriſti paſſionem, quæ licet acerba ſit & acetoſa fermentat tamen datque vitam vatum prædictionibus, vnde, & panem habet, quo alatur ſuauem, ſalubrem, certique nutrimenti. Coniungit Eccleſia Chriſtiana, Euangelium prophetiis, indeque panem pinſit dulciſſimum, ſapidiſſimum, qui cor hominis confirmet.

I. Allegoria. *Matt. 24. 41.*

☞ 21 *Tribus libris contra Fauſtum. Lib. 11. 12 13.*

De hoc argumento diſputat D. Auguſti. atque aniles quaſdam fabulas conuincit, quas hæreticus ille effutiebat, dicens non eſſe magni facienda Prophetarum oracula quia vt ipſe opinabatur, de Chriſto, non ſunt vaticinati, & ſi quid de ipſo ſunt locuti, parum referre eorum vaticinium, cum illud infideles non ſuſcipiant nec ei fidem habeant; Chriſtiani quoque illis modo oraculis non indigent, ſufficit enim illis nouum teſtamentum, vt vetus amplius non requirant. Probat autem D. Auguſtin. eum quàm longiſſimè à veritate aberrare, imo phreneſim pati. Primò: deditâ operâ probat, nullam eſſe Prophetarum paginam, quæ non loquatur de Chriſto. Secundò: nihil Deum feciſſe magis fidei noſtræ congruum, quam omnia prius & dixiſſe, & obumbraſſe quæ in noſtram facturus erat redemptionem, ita vt nexu admirabili ſibi inuicem vtriuſque fœderis paginæ adſtipulentur, hocque inter diuinæ potentiæ miracula caput exerit, quòd Deus infinitâ ſuâ ſapientiâ ſic cuncta

II. Vetus teſtamentū etiam venerandū.

di poſuit, vt tanta tamque varia hominum multitudo, à ſe mutuo diſſidens temporibus, terris ſæculis, qualitatibus, quorum alij in Chaldæa alij apud Iudæos, alij in Galilæa, quidam inter Babylonios captiui, quidam in Hieruſalem liberi, alij in Niniuen abducti, quidquid Chriſtus eſſet acturus, præſignarent, prædicerent, præſcriberent, ad minimas vſque actiones; hocque tantâ harmoniâ, vt nullum ſit pluribus conſtans fiſtulis organum, quòd tam conſonâ ludat melodiâ, nec diuerſorum cantorum muſica quâ tâta ſibi reſpondeat proportione, vt hi de Chriſto concorditer prophetizant. De hoc autem intelligere poſſumus illud Iſaiæ: *Requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex eis non defuit, alter alterū non quæſiuit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & ſpiritus eius cōgregauit ea.* Quodq; verbum, ſuum habet myſteriū. Non ait: *Quærite*, quod eſt ſimpliciter quærere, ſed *Requirite*, id eſt non ſemel, ſed ſæpius, idque ſtudioſè, *Diligenter*. Reuoluite paginas ex vna & altera parte, cognoſcite exactè, nō curſim, hæc biblia, hæc oracula. Num ſemel ea perlegiſti? relegiſti: & altera, & tertia vice; non dubito reperies, quòd ne vel legis apicem à ſe implendæ Chriſtus omiſerit: *Vnum ex his non defuit.* Demū ne opineris inter Prophetas conuentum eſſe, vt ſua componerent oracula, cum nec ſe mutuo plures viderint, nec agnouerint: *Alter alterū non quæſiuit.* Cum plures ſe mutuo nō viderunt, millenis, imo bis millenis annis alter alterū anteceſſerit, id tamen cognoſces, quod ſibi, mutuo cōcinant; conueniant; ſuiſque ſcriptis manus inuicem dent, cum nec vnus alterum aut viderit, aut ſua ſcripta cum illo contulerit componendâ. Argumentum hoc eſt irrefragabile, vnicum tantum fuiſſe præceptorem, qui cunctos inſtruxit, vnum eundemque ſpiritum, quo omnes afflati prophetarunt; Attendis concordem cantorum muſicam; hi ſuperius ſunt prope organum, illi inferius in choro, quiſque ſuam attollit vocē, & quæque fiſtula ſuam, nihilominus miraris, omnes in harmonia conuenire, miroque concentu vt inter ſe, & cum cantoribus fiſtulas reſpōdere, & qui altiùs vocem attollunt, cum his qui voce canunt leuiori: Et ais: nemo neget his eſſe muſices directorem, qui totā hāc deſponat melodiam. De ſe teſtatur D. Aug. maxime ſpiritum ſuum ex Prophetarum inter ſe concordia recreari, & eorumdem cum Euangelio conſonantia, ita vt, quidquid illi ſcriptis ediderunt, verbis prælocuti ſunt, ſignis præfigurarunt, adeo Chriſtus exactè compleuerit vt ne ſcias vtrum magis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

giſ debeas admirari vel quæ prædixerunt, ac de Chriſto præfigurarunt, vel accuratam diligentiam qua Chriſtum cuncta compleſſe comperimus. Si quæras, qui fieri poſſit tot tantaque tantillo poſſe tempore adimpleri; an æ moles erigi ædificium, cuius fundamento calamo in charta deſcribendo, quinque annorum millia impenſa ſunt, iter percurrere tam longum, vt ad eius leucarum ſupputationem plurimi eique ſapientiſſimi requirerentur Arithmetici, quales Prophetas fuiſſe indicamus? Vnum ex illis audiamus reſpondentem: *Cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit.* Itaque gradum accelerat, diuino percitus ſpiritu, vt timore diſcipuli percellantur.

### §. 13. *Chriſtus electrum, in ignem conuerſum ambulabat inter animalia, complens vaticinia prophetarum.*

11 HOc inter maiora Dei cenſetur mirabilia, quod in Chriſti paſſione conſideramus. Ignoſcat mihi Deus, quanta in ictu oculi percurrit regiones, tot tamque varias pertranſiit ſtationes, quales Prophetæ præſignarūt, vt omnem excedant numerum, quod, vt præfati ſumus, ſolummodo ad illas digito deſignandas, quinque mille annorum decurſus requireretur, omnes autem octodecim horarum decurſus permeauit.

Nec miror; amor eum excitabat diuinus, qui ignis eſt, cuius motus ſunt vehementiſſimi. Ex his credo me poſſe declarare viſionem, illam ſæpius repetitam, nec minus difficilem Ezechielis. Vidit hic electrum, id eſt (teſte D. Gregor.) pretioſum lapidem, ex auro & argento conflatum, miræ venuſtatis. Erat hoc electrum in medio quatuor animalium, vni facies erat vituli, alteri leonis, alteri hominis, & quarto aquilæ: Omnia verò potentiſſimo ardebant igne
Ezec.1.18 de quibus ſic vates ait, *Emittebant ſcintillas, quaſi æris candentis.* In horum medio electrum hoc ambulabat tanta celeritate, vt iam eſſet cum illo vnum animal, iam alterum ei congrederetur, nunc ad alterum reuertebatur. vno verbo: *Erat viſio diſcurrens, in medio animalium.* q. d. Fieri poſſe negares tantum corpus inter animalia tam celeriter diſcurrere: res erat digna ſpectaculo, ambulabat, hinc inde diſcurrebat, quaſi quid fuiſſet imaginarium, aut mentis cogitatio. Quis illud tam feſtinato propellebat? Ne miseris, erat hic lapis pretioſus igne flammaque circumfuſus: *De medio ignis quaſi ſpecies electri.* Si vel parum ignis pulueris tormentarij glandem impellat ferream, viginti quinque librarum, tanta volat per aëra celeritate, vt mentis eſſe videatur cogitatio, & corporis fugiat intuentes oculos, quid non ardentiſſimus, ac vehementiſſimus inſtar fulguris, ignis operaretur? talis autem erat, quo myſticus hic lapis inardeſcebat. Papæ, quale myſterium, myſterium cœleſte, myſterium diuinum, lapis pretioſus Chriſtus eſt Deus & homo, ex auro Diuinitatis & humanitatis argento conflatus: *Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Ecce lapis electri cœleſti diſcurrit inter ferociſſima animalia: *Ecce aſcendimus &c. & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & tradent eum gentibus &c.*

Expende quæſo, graphicam Chriſti carnificum hoſtiumque deſcriptionem; perpende animalium figuras, primo vituli; quo ſacerdotes, digito monſtrari inquit D. Ambroſ. quorum e- In c. 1. rat officium vitulos ac boues immolare: Quot Luc. eorum hic numerus fuit: *Circumdederunt me vi-* Pſ.21.13. *tuli multi tauri pingues obſederunt me.* Secunda figura erat Leonis, hoc ſæuiſſimos intellige Pontificum miniſtros, quibus, cum eum in ſuo concilio ipſa qua capiebatur nocte contumeliis affeciſſent, tradiderunt, vt eum vſque in aurorā irriſionibus pœniſque acerbiſſimis cruciarent: *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam.* Ter- Pſ.16.12. tia faciem hominis referebat. Adeſt Herodes, homo ad noua intentus, mirabilium auidus, videre Chriſtum ex vana inhiabat curioſitate. Vltima facies aquilam exprimebat, nempe Pilatū præſidem Romani imperij, cuius aquila ſignum referebat. Ecce tibi quatuor hæc animalia miro concentu à Dauide decantata, *Quare fremue-* Pſ.2.1. *runt gentes & populi meditati ſunt inania, aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnū, aduerſus eum.* Gentiles, Iudæi, Reges, & Principes. En quā crudelia animalia, rabie malitioſa furunt, in Chriſtum ſcintillas quaſi æris candentis emittunt, lapidem verè cœleſtem, quàm rectè talis inter ferocia hæc diſcurrit animalia, modò eum cum boue vides, id eſt in concilio Sacerdotum, quem in medio conſtitutum diris parant vrgere contumeliis falſiſque diſſimulare teſtibus, & velut immanes tauri, Deo claudunt oculos vt omni ſepoſita pietate Chriſtum cæco verbere fatigent duriori, (a) Modo illum (a) Palos inter miniſtros conſideras Pontificum, qui eum de ciego. alapis cædunt, eius oculos velo obcæcant, ictus in genas faciemque ingeminant, irridentes: *Quis eſt qui te percuſſit?* Nunc adeſt Herodi,

quā:

qui eum cum exercitu ſpretum illuſit & veſte candida induit vt morionem. Nunc in prætorio diſcurrit Pilati, à quo flagellis iubetur cædi, ſpinis coronari, irrideri, cruce ſuſpendi. O quàm properè de vno ad alium diſcurrit iudicem, vt pluribus diebus opus fuiſſet ad id, quod in ſingulis agebatur tribunalibus: cum tantummodo, vt illi quinquies mille verbera infligerentur, dies integri requirerentur. Modo vt ſpinis coronaretur, illæ quærerentur, illæ texerentur. Tot tribunalia, tot concilia, tot congregationes. Diſcurrebat velut ab alio vehementiùs impulſus de iudice ad iudicem, quod eximiis ſane verbis exponit vates Euangelicus: *De*
Iſai.53.8. *anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt*. Agnatum eum trahunt. Quis te, lapis ô cœleſtis tanta ducit feſtinatione? Quis te propellit, qui quaſi ab altero propulſus, tam celer per omnia diſcurris? *Sublatus eſt*. Non eum milites ducunt, nec trahit furor ſatellitum, non impellit rabies Iudæorum: amor ducit, trahit, impellit igne figuratus, quo circumuolutum apparuit electrum: *Erat viſio diſcurrens in medio animalium*. Tanta pertranſit velocitate, vt omnia pertranſeat, nec vllum genus omittat cruciatus; ſiſtit autem & moram trahit in cruce: exclamans: *Conſummatum eſt*: Tam citò tantum opus conſummaſti? Tam illo tempore tot percurriſti regiones? eum amor excitauit. Hic luce clariùs patet quàm tepido tu excitaris amore: luce clariùs patet, quàm ardens in pectore tuo amor ad terrena excitetur, cum in illis paruo tempore multum proficias itineris infatigatus. Quot itinera in tuo hoc proceſſu, prætenſione, delicijs percurriſti? Sed eheu quàm pauca in Dei famulatu? quàm parum in hoc progreſſus? Quid loquar de vigilijs, diſciplinis, eleemoſynis, operibus tuis impenſis inimicis? Ignis non ardet in pectore tuo. Accendat illum Chriſtus, qui potens eſt ipſam niuem accendere, & ipſas aquas in ignes commutare. O Domine, clamat Iſaias, veni, accelera, & noſtram operare redemptionem, ignis ille diuinus amoris noſtra liquefaciet pectora licet rupibus duriora, noſtraque accendet corda aquis licet congelatis frigidiora, & ipſa vt ignis inardeſcent vehementiùs: *Vtinam*
Iſai.64.1. *dirumperes cœlos, & deſcenderes &c. à facie tua montes deſluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni &c.*

§. 14. De Filio hominis. *Quæ de ſe ſcripta erant Chriſtus impleuit, ſupereſt, vt tu, quæ te tangunt, impleas ſicut Eliſeus.*

ALiud quoque nobis indicat Chriſtus his verbis: *Ecce aſcendimus &c.* Quod autem hoc? *Conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis.* Hoc eſt quidquid ad eum ſpectabat faciendum ad noſtram omnium redemptionem: at non illud quod ad nos ſpectat, hoc quippe nobis incumbit faciendum. O Luthere perfide, eiurate monache, qui dicis & doces, nihil tibi ſupereſſe agendum ad opus tuæ redemptionis, cum iam Chriſtus perfectiſſimè nos redemerit, & quidquid illa requirebat impleuerit, iam ex ore eius audiuimus: *Conſummatum eſt*. Fateor, omnia conſummauit, ſed ex parte ſua: hoc enim: *Conſummatum eſt*, in cruce prolatum ex illo oportet declarari, quod modo ait: *Conſummabuntur omnia*: hoc pergens itinere prout ipſe exponit, dum addit: *De filio hominis*. Ita illud *Conſummatum eſt* pari moderatione intelligit: *De filio hominis. Conſummatum eſt*. Quidquid ad me ſpectabat, ego ex parte mea ſatisfeci, ſupereſt, vt quod ad te ſpectat, exequaris. Egregia, nec nimis familiaris eſt illa D. Auguſt. ſimilitudo. Componit apothecarius medicinam ſaluberrimam, potionem purgatiuam, qua mali humores eſt cacitet expellantur, & optata redeat valetudo. Quibus momentis illam compoſuit, ex eius parte iam perfecta eſt medicina, reliquum eſt, vt & tu agas quod tuû eſt, illam ebibas: parum nanque tibi prodeſſet, ſi ab ipſo compoſitam, vaſique infuſam pretioſo, tu illam tantummodo intuereris, nec ſumeres, nec incorporares: *Poculum immortalitatis* (ait) *quod ex diuina virtute & humana infirmitate confectum eſt, ſi non bibitur non proficit*. O potentiſſimum medicamentum, ô potionem efficacem quàm nobis compoſuit diuinus ille medicus, expurgandis cunctis noſtris criminibus aptiſſimam: *Purgationem peccatorum faciens*. Dixerat prius D. Paul. poſtmodum verò: *Ad multorum exhaurienda peccata*. Id eſt expellenda crimina, quæ profundiſſimis cordium puteis abſconduntur? Ex ſe efficaciſſima eſt, nemo dubitat, attamen: *Si non bibitur, non prodeſt*.

Adduco vobis D. Chryſoſtom. docentem, qua ratione nobis Dei beneficia, ſanguis, mors, Sacramenta ſint ſaluti noſtræ profutura. Duo(do-

cet)

ceſſunt ſaluationi noſtræ neceſſaria: vnum ex parte Dei; alterum ex parte noſtra. Ex parte Dei, eius requiritur fauor, auxilium, inſpiratio, gratia, Sacramenta, mors, meri'a, totius noſtri boni ſalutiſque ſtabile fundamentum. Ex noſtrâ verò parte, neceſſaria eſt diligen'ia, cura, ſtudium, quo nobis hæc eius auxilia aſſociemus meritaque Chriſti eiuſdem paſſionem ac cruciatus, operibus noſtris adiungamus: Illum igitur audite:

D. Chr. Ho. 60. ad pp. To. 4. *Sicut ad perfectionem noſtram, dilectiſſimi, promptitudo noſtra non ſufficit, niſi ſuperno potiatur fauore, ita nihil à ſuperno lucrabimur auxilio, ſi promptitudo noſtra defuerit: ex his enim duobus virtus texitur.* Hoc igitur nobis Chriſtus innuit; quòd ipſe eâ, quæ facere venerat, impleuerat pro noſtrâ omnium redemptione, quod erat præcipuum & pluris referebat; ſupereſt igitur, tu quoque facias, quæ tibi conueniunt facienda. Quantum video, illud Eliæ ad Eliſeum, nobis ſuggerit. In Prophetam elegerat Dominus Eliſeum, præcipit Eliæ; vade ad Eliſeum, inuenies eum operantem in campo iugo boum, cum aliis vndecim operariis illum voca, & dic, manu mittat tale officium, ad aliud enim longè digniùs eum ſelige, vt ſit mihi in Prophetam, ad hoc autem miniſterium vnges eum ſacro Chriſmate, illi pallium tuum ſuperimpone, illoque eum contege, cui magnam conceſſi virtutem, Pergit Elias, & Dei complet præcepta, vngit eum, pallio ſuo contegit, vocat eum vt ſequatur. Cui Eliſeus: Iam ſequar te feſtinus Domine, præceptis tuis obediam

3. Reg. 19. 20. promptus, hoc verò vnicè deprecor: *Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te.* Reſpondet Elias. Chariſſime. *Quod meum erat feci tibi.* nimirum te vocare, te vngere, te meo pallio contegere, tu verò modò perfice, quod tibi competit, vel placuerit. Chariſſime, iam Chriſtus quod ſuum erat, fecit: vt te maſſa Adami damnata, vilibuſque erueret terrigenis, in filium ſuum adoptaret, regni cœleſtis ſcriberet heredem: iam ſuo te vnxit ſanguine, iam te per fidem vocauit, iam tibi ſuorum iniecit pallium meritorum, induitque veſte Sacramentorum, reliquum eſt, vt eum ſequaris, imiteris, greſſus tuos ad illius componas ſimilitudinem: Hoc ſignificat: *Conſummatum eſt*: q. d. *Quod meum erat, feci tibi.*

☞ 14 Act. 1. 1. Hoc, vt credo, nobis ſignificat D. Luc. dum acta deſcribens Apoſtolorum, quæ Theophilo conſecrat, ſic exorditur: *Primum quidem ſermonē feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere*: q. d. Primū ſcripſi de Præceptore, nūc de diſcipulis. Formulam nota loquendi: *Quæ cœpit Ieſus facere, & docere.* Quid ergo, numquid ea ſolum ſcripſiſti: *Quæ cœpit Ieſus facere & docere?* Quantum iudico ſcripſiſti principium, medium & finem eorum quæ fecit, cum in Euangelio tuo luce meridiana clariùs exorſus ſis ab eius puriſſima in ventre virginali puriſſimo, conceptione, natiuitate, & infantia, deinde vitam eius proſequens finem operi tuo dediſti deſcribens eius mortem, imo reſurrectionem & aſcenſionem; vnico verbo de eo ſcripſiſti, ab eius de cœlo ad terram deſcenſu, vſque ad reaſcenſum eius ad cœlos, ac ad paternæ dexteræ ſeſſionem. Quomodo igitur capio quòd ea ſcripſeris: *Quæ cœpit Ieſus facere & docere?* Abditum veneror myſterium. Non intendit dicere, quòd prima tantummodo Chriſti opera deſcripſerit, cum & vltima litteris tradiderit; ſed ſignificare voluit, quòd Chriſtus hæc omnia, quæ narrata ſunt, faciendo, principium dederit noſtræ redemptioni, tantique operis prima iecerit fundamenta: ita vt tibi ſignificet, quòd quidquid fecit, principium tantum tuæ dederit ſalutationi, vt tu eius adiutus auxilio illud proſequaris, ex parte tua, a-

gens quod tuum eſt. Hoc quoque ſignificauit I.
Apoſtolus illis verbis, quæ tam grauiter & ner- Nos docet imitari Chriſti paſſionem.
uosè Patres expendunt: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Ipſe paſſus eſt, crucem pertulit, pœnitentiam egit, mei gratiâ, quantum ex ipſo eſt, copioſiſſimam operatus eſt redemptionem, at defectus eſt ex parte mea, quòd illa in carne meâ non perficiam: Coloſſ. 1. 24.
*In carne mea.*

Hoc ſenſu capiunt quidam Patres, illam Matt. 26. 36.
Chriſti orationem in horto: *Tranſeat à me calix iſte.* Non rogat; ne bibat illum, ſed quòd ab eo epotus, tranſeat ad alios: *Tranſeat à me.* Domine, quid ais? Non capimus. Si tu illum ebibiſti, quid aliis ſupereſt bibendum? Si ego ſiti exareſcens ingentem vini ſcyphum totum exhaurirem, num congruè loquerer, tranſeat hic ſcyphus ad alios? Eſſet alios excipere ludibrio. Tu calicem, Domine, bibiſti paſſionis, tanta ſiti exæſtuans ad tui Patris honorem, noſtramque ſalutem patiendi, vt fueris Apoſtolo tuo Petro indignatus, quòd ad primum eius hauſtum, eum tibi voluerit de manibus eripere: dum ais: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Ioan. 18. 11.
& illum ambabus arripiens manibus totum ebibiſti, vt nec guttula remanſerit, & exclamares: *Conſummatum eſt.* Quinimo exhauſto iam calice, adhuc ſitiens, illam emiſiſti



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Ioa. 19.28.* vocem ſitis indicatiuam. *Sitio.* Quid igitur rogas, vt ad alios tranſeat? Quid aliis ſupereſt bibendum, ſi totum exhauſeris? Inſuper eâdem recurrit difficultas, in eo quod Iacobo & Ioanne, primas ſedes ambientibus, propoſuiſti: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum.* Si tu illum ſis bibiturus, quid illum aliis propinas epotandum? Hic latet myſterium. Ipſe ad fundum ebibet, quantum ex parte ſuâ, qui paſſus eſt, quidquid eum pati conueniebat, imo remedio noſtro ſuperfluenter: at ſupereſt, vt & tu pro tuâ patiaris redemptione, & illum Chriſti calicem, tuum facias, tu exhaurias, te mortifices, carnem tuam caſtiges, offenſas remittas, ad contumelias obmuteſcas, eoque modo te Chriſto vnias patienti, vel eius flagella, tuis; eius pœnitentias tuis coniungas, eius veſtigia imiteris, agas, quod ipſe tibi conſulit faciendum: *Matt. 16. 24.* *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam.* Iam ego tuli meam adeo grauem, vt cum humeris diuinis pollerem, ex onere tamen eius in terrâ corruerim; te tuâ modo manet tollenda, quæ licet infinities leuior, crux tamen eſt, quam tollens me ſequi debes, tuam debes meæ coniungere, vt ex mea & tua vna crux fiat; mea, virtutem, meritumque tuæ dabit infinitum.

*Hom. de Baptiſmo, quomodo baptizetur aliquis baptiſmate, quod eſt in Euang.* Ad rem noſtram congruè perpendit Diuus Baſilius modum loquendi Diui Pauli quo exprimit quo ſalutem & redemptionem conſequamur: *Rom. 6. 5.* *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius*, Id eſt, ſi cum Chriſto mortui ac ſepulti fuerimus. Qui fieri poteſt, vt ego cum Chriſto moriar? cum Chriſto ſepeliar? cum Chriſto crucifigar? cum Chriſto patiar perſecutionem? In eo quod opera tua, pœnitentiæ tuæ, mortificationes tuæ, illius operibus &c. vniantur: hæc namque eſt illa communicatio afflictionum, de qua Diu. Paul. *Philip. 3. 10.* *Ad cognoſcendum illum & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius.*

*II. Exemplũ. Lib. hiſtoria D. Iacobi lib. 2. cap. 2.* Egregiè nobis, hoc expoſuit vir illuſtriſſimus D. Rudeſindus, quem alij Roſendum dicunt. Vt refert D. Martin. Erat hic regali proſapia clarus filius Comitis de Guterros, & Dominæ Ilduaræ eius coniugis ſanctiſſimæ mulieris ex nobiliſſima familia de Ribera, quæ modò eſt Ducum de Alcala. Epiſcopus præfuit multis Eccleſijs, & tandem Compoſtellanæ, Anno verbi incarnati 990. Inſignia ſibi vir Sanctus ſculpſit; crucem rubram ex cuius altero brachio circinus dependebat, ex altero verò ſpeculum. Eo modo etiã hodie ea licet conuenit in cathedrali Eccleſia Mondonenſi, vbi & Epiſcopum geſſit, & in illuſtri Monaſterio Cella noua, vbi Abbas rexit: per hoc ſignificans, quod cruci Saluatoris adiungeret circinum quo perpetuo vitam ſuam Chriſti actionibus configurabat, labores ſuos Domini laboribus dimetiebatur: ſpeculum autem quod doceret qua ratione vitam componeret, ſeipſum in cruce Saluatoris velut lucidiſſimo ſpeculo contemplatus.

## §. 15. Tradetur. *Non ſignat Chriſtus, quis eum ſit traditurus, ob rationes notatu digniſſimas.*

Eia Domine cum iam paſſionis tuæ ſis iter ingreſſurus, dicito quæ tibi ſunt ſuſtinenda, illiſque nos illuminato. Ponit vt frontiſpiciũ: *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & tradent eum gentibus.* Sapienter hoc primum cõmemorat tormentum, quaſi totius paſſionis ſuæ fundamentum; ſe manibus tradendum inimicorum. Hoc præ cæteris virum torquet honorabilem acerbiùs, ſi manibus tradatur inimicorũ, idque tam perfectè, vt ei facere poſſint, quiquid animo ſederit turbulento: quia hoc integrè eſt pati, in anima vt in corpore: in anima, dum eorum conſiderat liuorem, odiumque, quo in illum debacchantur, & in corpore, per tormenta cruciatuſque quibus laniatur. *III. Similitudo.* Quando quis traditur animalibus, leonibus licet ſæuiſſimis, aut tigribus immaniſſimis, aut tauris furentibus, aut ignibus ardentiſſimis eius flammis iniectum corpus aduritur, aut aquis, ſeu profundiſſimis maris eſt immerſus fluctibus, ſolùm patitur corpus, contra quod ſolum ſuas poſſunt hæc omnia vires exercere. *IV. Acerbum eſt tradi inimicis.* Verumtamen dum poteſtati traditur inimicorum, patitur pariter & anima cuius intima penetralia peruadunt, & cordis fibras venaſque transfodiunt inimicorum irriſiones, contemptus, iniuriæ, conuitia, exprobrationes, ſcommata &c. Hoc vt ſupremum cordis ſupplicium reformidabat Dauid, dum ſic Dñm deprecatur: *Pſal. 26. 12.* *Ne tradideris me in animas tribulantium me.* Et alio loco. *Pſal. 12.* *Reſpice & exaudi me Dñe Deus meus, &c. ne quãdo dicat inimicus meus, præualui aduerſus eũ.* Quàm acerbũ fuit Samſoni tormentũ dum ſe manibus luget traditũ inimicorum, qui feſtos dies eũ irridendo, & quaſi cũ tauro furẽti colludendo, ſeu in diuerſa agitando, dedicabant. Qui nõ in eum tumultus, quantus non clamor excitatus? *Sicut exultant victores captâ prædâ*, quã vt claui acutiſſimi

ſimi cor eius terebrabant omnia hæc ſcõmata, & opprobria quibus eum naſo ſuſpendebant.

Nota propoſito noſtro congruam illam orationem, qua piiſſimus ille bellator Machabæus Deique populus pro criminum ſuorum remiſſione Dominũ ſunt deprecati. Permiſit Deus in eos inſurgerent Reges gentium, vt tyrãni crudeliſſimi, ac Græcorum populus inimicus: illo quippè modo populi peccata ſolebat Deus caſtigare, vt ex contextu S. Scripturæ liquidò legentibus patet: fuit mare malorum eorũ bellica negotia corruerunt, triumphũ de illis agunt inimici, trophæa erigunt, captiuos abducunt, damnant ſeruitute, ſubſannant vt moriones, tandem impius ille Rex Antiochus plurimos eorũ non tolerandis torſit ſupplicijs, nominatim autem ſeptem illos fratres Antiochiæ. Verumtamen Deus populo ſuo miſertus, iram ſuã in hoſtes, qui eum affixerant, retorſit, ac primùm ipſum ſacrilegum Regem, horrenda hinc abſtraxit morte, quo factum eſt, vt hoſtes ad propria repedarent, Deique populum bellis abſoluerent duriſſimis liberos. Tũ vero Iudas Machabæus, multitudine populi comitatus, aggreſſus eſt tẽpli purificationem, quòd Gentiles execrandâ polluerant ignominiâ ſordibuſque profanarant idolorum. Quâ peractâ, omnes Deo cernui hoc vnicum rogarunt, ſi quando peccaſſent, ab ipſo mitiùs corriperentur, fame vt tempore Eliſei, vel peſte, vt in diebus David, aut aqua vt dum Noë fabricabat arcam, aut leonibus, ſicut imperante Sennacherib, tantum ne hoſtium manibus traderentur illudendi: hoc quippe ſummũ omnium ducebant eſſe ſupplicium: *Quibus geſtis rogabant Dominum, proſtrati in terram, ne ampliùs talibus malis inciderent, ſed & ſi quando peccaſſent, vt ab ipſo minùs corrigerentur, & non barbaris ac blaſphemis hominibus traderentur.*
2.Machab.c.10.4.

In pſ.40.
Sententia eſt D. Ambroſ. quòd David huius tormenti ſentiens grauitatem ſpecialiter æternũ Patrem fuerit deprecatus, ne permitteret vt filius ſuus, qui pro peccatoribus erat moriturus, eorum manibus traderetur perimendus, & hæc Davidis verba ſic explanat: *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, &c. & non tradat eum in manibus inimicorum eius.* Hoc diriſſimum eſt ſupplicij genus & vt tale Redẽptor quaſi principium & fundamentũ ſuæ proponit paſſionis, manibus hoſtium ſuorũ traditur crucifigendus, illudendus, conſpuendus &c. totus eorũ peruerſæ ac virulentæ traditus voluntati. Hinc ſuam prænuntiat paſſionem, & per hanc ſuipſius traditionem in manus eorũ, eam exorditur, hoc enim illis, qui ſe capturi venerãt, aiebat: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Vobis pater meus dat licentiã, cui & ego conſentio, cunctiſque gehennæ dæmonijs, agẽdi de me quidquid vobis diabolicus ſuggeſſerit furor: ad hoc plenariam, ac integram vobis permittit poteſtatẽ. Exhorruit Iob præ grauitate cruciatus, dũ ſe traditum ſuſpirat dæmonis poteſtati, vt in eum ferox debacharetur, attamen traditio non fuit perfecta, ſed reſtricta ad certos limites dæmonis voluntas: Primò namque tantum in bona viri iuſti conceſſit poteſtatem, nec eius poteſtat vel tãgere perſonam, demũ in corpus obtinuit poteſtatem, reſtrictam tamen ad vitæ conſeruationẽ, ne iuſtum interimeret; nihilominus, cum ſe vir ſanctus, patientiæ prototypon dæmonis cerneret traditum poteſtati, luget inconſolabiliter, Deoque pias has effundit querimonias: *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillã meam, ſatiati ſunt pœnis meis, concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.* Chriſtus verè traditus eſt omniũ, quos habebat ferociſſimorũ inimicorum, tam in terra quàm in ipſo inferno, poteſtati. Quis rabiẽ explicet, qua in eum exardeſcebant ſæuiſſimi illi Scribæ & Phariſæi? Quis, inquam, quòd longè maius eſt, dæmonorũ exponat ſæuitiã, quos toties Chriſtus diris exceperat cruciatibus. Si tantò maiori libidine in hominem diaboli impingunt quanto illum cernunt meritis excellere præclarioribus, quo non furore in illum irritantur, ignеſcunt, debacchantur, ad rauim vſque, qui ipſa erat sãctitas, & omnis origo ſanctitatis? Illis omnibus totus traditus fuit nullo excepto, nec vita, nec valetudine, nec ſanguine, nec capite, nec manibus, nec pedibus, nec ipſis, quas gerebat vilibus tunicellis. Traditio tam vniuerſalis ac libera, vt in eo, & in eum exequi potuerint; quidquid, & quomodolibet, vellent, aut poſſent.
Pſal.40.3.
Luc.22.24
Iob 16.11.

Hoc in primis notandum occurrit in Chriſti Domini paſſione, quodque myſticis verbis Propheta Iob (ex opinione D. Gregor. ſed priùs D. Aug.) declarauit: *Terra data eſt in manus impij, vultum iudicum eius operit.* Nomine terræ ſanctiſſimã intelligit humanitatem & puriſſimam Chriſti carnem. Eius diuinitas eſt quaſi cœlum, humanitas tanquã terra ex quibus reſultat ſuppoſitum illud diuinum Deus & homo. Diuinitas vtique ſuperior, nedum tradita non fuit manibus iniquorũ, quin potiùs eius hi omnes tradebantur poteſtati. Verùm Chriſti humanitas, caro, corpus, integrè dæmonum voluntati tradebatur, qui antonomaſticè impij dicuntur eorumque
Li.9.mor. c.20.
Ep.120. c.16.
Iob.9.24.

ſue miniſtris, qui licet ex natura homines eſ-
ſent, malitiâ tamen, ac nocendi voluntate dæ-
mones cenſebantur, quos ſaluator diaboli filios
indigitat: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Addit autem:
Ioa. 8. 44. *Vultum iudicum eius operit.* Hoc non malè capi-
mus, ſi dixerimus quod *Deus* permiſerit eorum
oculos paſſionum ſuarum, ac diabolicæ peruer-
ſitatis velo obcœcari; vel ipſos dæmones Iu-
dæos illos fœdifrages miſerandum in modum
obtenebraſſe; pro vt eorum actibus ac conſiliis
cernimus eueniſſe obcœcatis. Impius ille tene-
brarum princeps; ille ipſe cui proprium eſt
2. Cor. 4. 4. munus hominum oculos obcœcare: *Deus huius
ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat
illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti.* Excœ-
cauit mentes infidelium, præſertim vero
(a) Palos de ciego. Principum atque Iudæorum Iudicum, vt in
Chriſtum cœcis irruerent oculis; (a) Horre-
ſco ſæuam illam referens traditionem. Talibus
tradi manibus tot, tamque crudelibus, rabioſis;
ipſis verò inimicis cœcis, obuelatos habentibus
oculos malitioſa excœcatis paſſione, ac peruer-
ſa malitia, quis hinc non timendus cruciatus?
quod ſupplicium? quæ tormẽta? Hinc originem
ſumpſerunt tam horrenda, tam inaudita, quibus
Chriſtum attriuerunt ſupplicia, vt ea ſoli Deo
Pſ. 58. 20. cognoſcenda referãtur? *Tu ſcis improperiũ meũ.*
Deficit humana lingua, minor eſt Angelicus in-
tellectus, vt illa perſcrutetur. Hocq; ſic diuino
decretum eſt conſilio, in noſtrum enim malo ũ,
paſſio Chriſti deſtinabatur remedium. Tu te to-
tum per culpã tradis & quidem integrè dæmo-
nũ poteſtati, vt quidquid lubet tibi inferãt no-
cumẽti, vt prodigo illi filio qui ſe dæmoni in
ſeruum mancipat, vt eius poſtmodũ ſeruiret vo-
luntati: horum nũmero comprehenderis, de qui-
2. Tim. 2. 26. bus D. Paul. *A diabolo captiui tenentur ad ipſius
voluntatem.* Nec tibi caput excipis, nec manus,
nec cor, nec oculos, nec opes, nec honorem in
obſequium diaboli, omnia eius tradis voluntati,
quantum ad culpam. Chriſtus ſe integrè tradit
inimicis, quantum ad dolores, eorum enim ma-
nibus ſuum tradidit caput, capillos, oculos, os,
manus, ſanguinem, vitam &c.

☞ 26 Secundo: eodem verbo *Tradetur* aliud indicat
myſterium. Vtitur illo verbo Redemptor im-
perſonali, ſecundum Grammaticos, quod effe-
III. Multos habuit Chriſtus traditores. ctum opuſque ſignat, ſed perſonam, quæ hoc a-
git, non indicat, velut dum dicis: Hoc fiet, hoc
ſcietur, nec dicis quis hoc faciet, quis hoc ſciet.
*Tradetur.* Vt quid ô Dñe, verbo vteris imperſo-
nali, nec eum nominas qui te ſit traditurus?
Numquid tuæ defuit auctor traditionis? Innu-
merus eſt eorũ numerus. Primum namque, ipſe
tuus teſtatur Apoſtolus, te à Patre tuo Iudæis
traditũ: *Pro nobis omnibus tradidit illum.* Tu ipſe Rom.
teipſum tradidiſti: *Tradidit ſemetipſum pro me.* Gal.
Homines te tradiderunt, Iudas Principibus,
Principes Gentibus, &c. Ita vt omnes conuene-
rint, licet diuerſis reſpectibus vt te morti trade-
rent ſicut omnes conſpirarunt vt Ionam in ma-
re præcipitem agerent, omnes ſua dederũt ſuf-
fragia, quinimò & ipſe Ionas illis ait: *Tollite me,* Ionæ
*& mittite in mare.* Multa hic locus myſteria
continet: porrò dico, quòd magnificum Dñs vo-
luerit ſignare myſterium. Cur igitur non nomi-
nas eum qui te tradet, proditorẽ? Omnes cõleti-
tiunt multos te poſſe deſignare. An non te Iu-
das tradidit? *Iudas, qui tradidit eum,* ob hoc cla- Matt.
rè vocatur *proditor.* An non te Iudæi tradide-
runt? *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi,* Ioan.
*ait Pilatus.* An non tradidit Pilatus? *Tradidit eũ* Luc.
*voluntati eorũ.* Fateor: ab omnibus illis Chriſtũ
traditum, verũtamen ſi ab vnoquoque eorũ quæ-
ſieris, num Chriſtum tradiderit; Omnes diffite-
būtur. Si Pilatum interrogaueris, num eum tra-
diderit, reſpondebit: Ego nequaquã: omnibus e-
nim perquam notum eſt quantũ Iudæis reſtite-
rim, quid pro eo egerim, noueram enim inue-
teratum contra Chriſtum odiũ Phariſæorum,
quocirca coram tota Iudæorum Synagoga laui
manus meas proteſtatus: *Innocẽs ego ſum à ſan-
guine iuſti huius.* Si Iudæos traditionis accuſaue-
ris, reſpondebunt. Nobis hoc nõ imputetur, co-
ram namq; iudice nos hoc ſcelere exonerauí-
mus: proclamãtes: *Nobis non licet interficere quẽ-* Ioan.
*quam.* O Iuda maledicte, tu illum tradidiſti, cum
eum triginta vendideris argẽteis. Abſit hoc à me,
quid mihi tantùm crimẽ imponitis: Licet enim
eum vendiderim ilicò contractũ retractaui egi
pœnitentiam, triginta retuli argenteos pretium
ſanguinis, corã templi ſacerdotibus proteſtatus:
*Peccaui, tradẽs ſanguinem iuſtum.* Tu igitur, dæ- Matt.
mõ peſſime hui is proditionis reus proclamaris, 14.
nulla tibi vel vmbra relinquitur excuſationis,
tua quippe illũ malitia in mortẽ tradidit crucis
ignominioſã. Mentiuntur omnes, licet enim pri-
mum, eius mortẽ intenderim, at poſtmodũ gra-
dum retraxi, deſtiti, inſtiti, vt in illo criminali
proceſſu ac ſanguinis cauſa nihil vlteriùs fieret,
horrendis ſpectris ſomniiſque terrificis inſtigãs
iudicis vxorem, Pilato marito demandaret: *Ni-* Matt.
*hil tibi & iuſto illi.* O magnum Sacramentũ, vi- 19.
demus mori Chriſtum, effectum cernimus, & ſi
cũctos audiamus, auctorẽ non reperimus tradi-
tionis: effectus patet, & cauſa efficiẽs nõ patet.

Hoc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hoc paſſim contingit inter homines: puellã audimus libidinis inſamari, religioſam inhonorari; iuſtum crucifixum, & ſi ſceleris inquiras auctorem, inuenies neminem, qui ſe crimini huius reum eſſe fateatur. Dicit hic: ego talem non ſum exorſus: dicit ille: dix ſub ſigillo, dicit alius: dixi, ſed me illis fidem nõ habere ſum proteſtatus. Videmus effectum, nec tamen inuenies, etiam in confeſſione, qui in ſe hanc recipiat culpam, qui dicat: Confiteor: Prægrandis, precioſa, pulchraque nimis erat illa ſtatua, quam in ſomnis vidit Nabuchodonoſor: abſcinditur de monte lapillus ſine manibus, ſtatuam impetit, & in pulverem

Dan.2.34 areníæ ſimilem redigit: *Lapis abſciſſus de monte*

IV. Lingua lapis eſt Danielis. *ſine manibus*. Heu, quot ſtatuas videmus in pulverem redactas pulcherrimas? quot viros Eccleſiaſticos denigratos? quot religioſos conuitiis diffamatos? Quot mulieres opibus abundant, quæ fama mala pereunt? Quis hæc egit? lingua; lapis ille quæ cum tam parva ſit, tantum inue-

Iac.3.5 nit malum: *Lingua quidem modicum membrum eſt, & magna exaltat*. At ſi quæſieris, quis lapillum iſtum abſciderit, quis illum eiecerit, inuenies neminem: omnes negant, excuſant ſe omnes, quiſque ſe à crimine immunem eſſe proteſtatur. Scias igitur, quòd ſicut in morte Chriſti, ſinguli nullius ſe in ea culpæ obnoxios eſſe contendunt, omnes tamen conſtat reos accuſari; ita quoque modò: tu qui alterius peccatum te clanculum dixiſſe contendiſti: tu quoque, qui eius negas primum auctorem: tu quoque, qui au-

(a) (Poner en ſaluo.) rium ſecreto confidiſti. (a) Omnes vos iudico culpæ reos, omnes eodem ſatisfaciendi vinculo conſtringimini.

Tertiò: dicens *Tradetur*; nec dicens pro quo, magnum indicat Sacramentum, quòd quiſque ſibi ipſi conueniens applicet, dicatque cum Apo-

Gal.2.20 ſtolo: *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. licet enim pro omnibus traderetur, ſimul tamen pro vnoquoque traditus fuit in particulari, quaſi

V. Allegoria. pro illo ſolo ac vnico traderetur. Mare hoc æneum à Moyſe ex præcepto Domini compoſitum, Sacerdotibus in lauacrum, decreuit Deus ſpeculis mulierem circumornari: vt quiſque ſe-

Exo.38.8. ipſum in iis contemplaretur adeo in particulari, quaſi pro illo ſolum eſſet opus illud erectum. Talis fuit Chriſti paſſio veneranda, quæ licet pro omnibus ſit peracta, ſimul tamen ita pro te in particulari quaſi tu vnus Chriſti ſanguine eſſes redimendus. Vnde illam ſic attendens Vates Hieremias & quod in omnium noſtrum ſanguis ille funderetur ablutionem, vocat Chriſtum, Spi-

Thre.4.20 ritum noſtrum, ſeu animam noſtram: *Spiritus oris noſtri Chriſtus, Dominus captus eſt in peccatis noſtris*. Sicut enim anima tota eſt in corpore, totaque in ſingulis eius partibus, eo modo credimus de Chriſti paſſione, qua nobis vitam inſpirauit; ſic videlicet pro omnibus perfectam eſſe confitemur, vt tota fuerit, eaque perfectè, pro vno quoque noſtrum celebrata; prout ex doctrina D. Chryſoſt. & D. Tho. alibi declaramus, explicantes quàm arctè, tu, & tu, & ego, & vnuſquiſque noſtrum redemptori obligemur, vt tanto beneficio nunquam ſimus ingrati, tanto, inquam, quaſi tibi ſoli ipſe laboraſſet, tibi ſoli traditus eſſet, tibi ſoli ſanguinem fudiſſet, tibi ſoli in cruce moriens expiraſſet.

## §.16. *Oſtendit nobis Chriſtus in laboribus noui gratiam teſtamenti, qui cum præmio debent conſiderari.* 27

ET *tertia die reſurget*. Omnia verba hæc diuinis ſcatent Sacramentis. Primum per illa Chriſtus noui gratiam exprimit teſtamenti, quæ eſt tota vita, vſque ad vltimum ſpiritum perferre tribulationes, eaſdem accreſcere, nec hic earum, ſed in futuro mercedem recipere. Ep.120. ad Hono.
Compoſuit D. Aug. epiſtolam, quæ cum ſit adeo fuſa, eam in triginta ſeptem diuidit capita, quibus reſpondet Honorato, quaſdam explanans quæſtiones quarum hæc facile primaria eſt, quæ ſit noui gratia teſtamenti: eam autem elucidans totum exponit Pſalmum 21. Vbi rex & Propheta planis verbis Chriſti Domini labores, paſſionem, mortemque celebrat amariſſimam. Gratiã Dominus (inquit D. Aug.) dabat in veteri teſtamento, dat & in nouo. Quæ veteris erat gratia teſtamenti? Quod electis ſuis ſuccurreret in tribulationibus, afflictos eriperet, concedens illis dies videre bonos. Ita Abraham amicum de manibus aſſeruit Chaldæorum, Moyſen de perſecutione Pharaonis, Dauid de manu Goliæ, Daniẽlẽ de lacu leonũ, tres illos adoleſcentes de camino ignis ardentis. Noui verò gratia teſtamẽti ea eſt: ſuos in hac vita de tentationibus, pœniſq; nõ eripere, ſed robur, ac patientiam, qua illas conſtanter perferant, impertiri; parum eſt non auferre tribulationes, inſuper illas augere, donec vita ſupereſt; non eos liberare, ſed in alteram vitam differre earum omnium digniſſimam retributionem. Hoc manifeſtum eſt in Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Pœnitentibus, quibus Dominus hanc gratiam communicauit, quo-

I. Duplex gratia veteris, & noui teſtamenti.

rũ tota vita crux fuit, paſſio fuit, tribulatio fuit; Hoc verò liquidiùs conſtat in Chriſto, vt capite noſtro, noui auctore teſtamenti. Attende eum, prudens lector, ex ore Dauidico Patri cœleſti, pias has fundentem querimonias: *In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos; ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt; in te ſperauerunt & non ſunt confuſi.* Pater mi, veteris teſtamenti patribus adfuiſti velox auxiliator, dum ad te tribulationibus preſſi clamarent; de ſummis anguſtiis liberaſti ſuſpirãtes Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, &c. Ego verò tibi vnicus & altera vice deprecor, Abba pater, trãſeat à me calix iſte, nec orantẽ, factumque in agonia exaudiſti, quinimò felleo paſſionis calice permiſiſti inebriari, vt modò liceat exclamare: *Deus meus, Deus meus; vt quid dereliquiſti me?* Hæc noui gratia teſtamenti, quæ cœpit in Chriſto, labores ſuperaddere laboribus, pœniſque pœnas accumulare; quæ non niſi morte finiantur; quietem poſt hanc vitam reſeruando, ſicut in Chriſto: *Tertia die reſurget.* Hoc ſuppoſito de facili capietur (ait D. Aug.) illa D. Iacobi ſententia: *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Perpende, qua ſuis in anguſtiis patientia Iob effulſerit, & finem laborum Chriſti contemplare. Noluit tribulationum Iob exitũ finemque conſideremus: in hac quippè vita, eſſe deſierunt, illas Dominus remuneratus eſt, bona deperdita in duplum reſtituit, ſalutemque reddidit ampliorem.

Psal. 21. 5. — Iac. 5. 11.

Huius vitæ ſeu valetudo, ſeu bona, res eſt vix vnius teruncij. Patientiã Iob attende, vt illã addiſcas: & finẽ Domini conſidera qui laborũ ſuorũ in hac vita non recepit mercedẽ, quin potiùs ad nouas indies parabatur tribulationes, donec crucis ſtipite conſumeretur, mercedẽ autẽ earũ recepit ad immortalẽ reſurgens vitam mortuus triduanus. Colligit ex prædictis D. Aug. quibuſdã veteris viris eximiæ virtutis, teſtamenti; noui à Deo gratiam collatam eſſe teſtamenti; labores ſcilicet vſque ad mortem: videlicet ſeptem illis Machabæis fratribus, Iſaiæ, Hieremiæ, primoque martyrum Abel anteſignano; aliis autem noui teſtamenti, iuſtis gratiam Deus veteris conceſſit teſtamenti, illos namque huius vitæ ærumnis pœniſque eripuit. Attamen, ſicut illos veteris teſtamenti, velut, veteris tractat teſtamenti; proinde longè eminentior fuit illa gratia, quàm illis contulit, de vitæ laboribus non eripiens, quàm illa, quâ alios dignatur, quando eos de tribulationibus preſſuriſque vindicat inoffenſos. Ex his, tanti faciunt viri ſancti noui labores teſtamenti, fortemque hanc multò iudicant eſſe digniorem, quantò dignior eſt noui gratia teſtamẽti, quàm veteris; ac quantò magis hi congeruntur, tanto creſcit & cordis gaudium, mercediſque fiducia recipiendæ, cum Dauid Deo hilares pſallunt. *In tribulatione dilataſti mihi.* Sicut enim aurea vel argentea lamina, quo mallei, verbere contunditur crebriori, eo ſe magis expandit, & latiùs extenditur: Sic quoque quo fuerint in hac vita Dei famulis ærumnæ grauiores, eo corda eorum, amplius dilatantur futurorum maiorumque bonorum ſpes obtinendorum.

Psal. 4.

Secundò: congruum valde leuandis noſtris Chriſtus ſuggerit remediũ, tribulationibus ſcilicet: ſi illas non in ſe ipſis, ſed in fine, qui illas manet, attẽdamus quãdo pro Dei gloria conſtãter hilariterque perferuntur: *Et tertia die reſurget.* Illa coniunctio (&) infert & cõiungit Chriſti paſſionem, crucem, mortem, eiuſdem glorioſæ reſurrectioni: huius intuitu longanimis ſuſtulit, capturam, verbera, clauos, crucem: *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Vt alter Iacob, qui flocci pendebat etiam grauiſſimos labores, quos ſecũ Paſtoris trahebat officiũ, dum ſibi proponit futuras dilectiſſimæ Rachelis nuptias: *Videbantur ei dies pauci, &c.* Ea de cauſa ait D. Pet. quod loquens Spiritus S. de Chriſti doloribus atque crudeliſſima paſſione, continuo ſubiungat eiuſdem gloriam tantorum laborum præmium digniſſimum: *Prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias.* Solæ nõ incedunt tribulationes, ſed pone illas ſequitur, & quaſi manu ad manũ illis coniungitur gloria, triumphus, æterna retributio. Tuam mirare infelicitatẽ, qui labores ſeparatim & per ſe conſideras, vnde tibi terrorẽ incutiunt: conſidera illos coniunctim illos futuro prœmio, ſecuræ conſtringe beatitudini. Pereleganter ex opinione D. Amb. diſcrimen ſtatuit Spiritus S. inter ſapientem & ſtultum: *Sapientis oculi in capite, ſtulti in calcaneo,* ita ipſe legit. Is cui ſunt oculi in capite, quòd longè diſſidet, intuetur, ſi verò ei ſint in pedibus, quæ proxima ſunt tantummodo conſiderat. En tibi peccatores inſipientes, qui non niſi vicina quæque perpẽdunt & quod illos proximè tangit: quod carnis caſtigatio vrat, quòd bona dilapidet eleemoſyna, quòd ignominia perturbet: proinde hæc omnia fugiunt cane peius & angue. Sapiens autem ea quæ procul ſunt intuetur, futura perpendit, nedum labores, ſed & *poſteriores glorias,* ac Paulum de ſe dicentem imitatur: *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur.*

II. — Heb. 12. — Gen. 29. 20. — 1. Pet. 1. 11. — In Luc. — Eccl. 2. — 2. Cor. 4. 18.

Tam

Tam celebre, quàm mirabile ſpõſæ dat ſponſus cœleſtis encomium: eã membratim deprædicat, dum autem naſum extollit, ſic de eo: Formoſa mea, dilecta mea: *Naſus tuus ſicut turris Libani.* (Cant. 7.4.) Erat autẽ turris Libani altiſſima, ex qua nullo negotio pars illa verſus Damaſcum, vnde hoſtes erumpebant, diſpiciebatur. Bone Deus: quæ hæc, quæſo, ratio. Num hoc pulchritudini naſi attribuitur, oblongum eſſe turris inſtar? ſi puellæ pulcherrimæ celebrans elogiũ de ea ſic proferrem eſt illi naſus vt turris Eccleſiæ: quis riſui parceret? Nemo tamen Spiritum S. ſugillet qui laude dignam in ſponſa anima ſancta effert perfectionem; naſo quippè abſcondita exploramus: Quis canem videt ſagacem, & ſi odorem feræ percepit, quàm procurrat feſtinato? Quæris, quo tendit canis hic? Feræ percepit odorem: vnguibus catellus, ad ferarum ſcalpit latibula nec eſt qui poſſit inde abigere. Quid cani deeſt Domini? feram olfacit, quam licet oculis præſentem non videat nec niſi terram & puluerem, illam tamen detegit odoratu. Hoc pollet odoratu Sponſa cœleſtis; quæ ſub paupertate diuitias, ſub ignominia gloriam, ſub certamine triumphos & ſub præſentibus laboribus requiem explorat ſempiternam: quare & his manet affixa.

**§. 17. Tunc acceſſit.** ***Errarunt hi duo fratres quoad tempus, ſicut Baruch, in eo quoque quod vnam tantum partem attenderint propoſitionis, tu verò totam aſſume.***

18 TVnc acceſſit mater filiorũ Zebedæi, &c. Notat Euãgeliſta tempus, quo mulier Chriſtum adijt: *Tunc*: eo ſcilicet tẽpore, quo Chriſtus cum diſcipulis de Paſſione ſua diſſeruerat: vt omnibus ſit in profeſſo, quod Dominus (Iſai. 55.8.) ait per vatem Iſaiam: *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus: quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Illo namque tempore quo Chriſtus cogitat, agit, exorditur pœnas ſubire ſæuiſſimas, pro hominũ ſalute, humiliari vſque ad mortẽ, mortẽ autem crucis in humani generis redemptionẽ, ipſi tantum animo concipiunt, meditantur, poſtulant dignitates, & nominis celebritatem. Rei ſic ſe habet veritas, quòd (In ca. 20. Matth.) hæc matris honorũ auiditas (vt notat D. Hyer.) ex filiorem proceſſerit ambitione, quia cũ Chriſtus in propoſito illis themate diceret, ſe ad mortem feſtinare, mortẽ autem crucis, at quod die tertia ſurgeret rediuiuus, regnũ ſuum glorioſus intraret, ambo illi, non ad antecedens, ſed ad conſequens aures arrexerunt, at mutuo colloquuntur: Iuxta Præceptoris noſtri iam dicta, vicinus eſt regni ſui poſſeſſioni: Hæc ne nos præterfluat hora. Hoc ſibi proponũt, optimates eſſe in regno Chriſti, & nulla alia attenta ratione, ſed adhibita ſumma diligentia, vt ſolent, qui artẽ nouerunt prætendendi, quas non merentur dignitates, matrẽ adeunt, perſuadent tempus iã eſſe promotioni ſuæ maximè opportunũ: Magiſtrum ſuũ iam nunc procedere, ad regni poſſeſſionem; quare accedat, poſtulet filiis ſuis, ſedes in regno eius primarias; hoc eſt, vt eorum vtatur miniſterio, ipſi ſint quorum manibus, quorũ iudicio diſponatur, quidquid in regno eius occurret peragendum; ſiue ad dextrã, ſiue ad ſiniſtrã. Ipſa verò vt mulier minus prouida, & mater promotionis filiorum cupida; magna Chriſtum accedit reuerentiâ: *Adorans & petens*, &c. Nota primò; horum diſcipulorum defectum, quem Euangeliſta ſignanter expreſſit, temporis deſcribens circumſtantiam. *Tunc.* Eo tempore, quo Dominus agit de contumeliis, irriſionibus, &c. totis ipſi viribus honores prætendunt primarios: ipſo loquente de cruciatibus, & deſcenſu, nihil ipſi aliud loquuntur, quàm propriam gloriam, & aſcenſum ad altiora.

Poterat Dominus modo in illos veterẽ retorquere querimoniam, quâ olim Prophetam Baruch diſcipulum ſcribamque Prophetæ Hieremiæ redarguit: qui meo quidem iudicio ea laborauit mentis infirmitate, quam Dominus ſanctis ſuis permittit euenire, ad humilitatis eorum incrementum. Ex induſtria loquitur Dominus, & verborum proponit grauitate ex ore Hieremiæ, quomodo id exigentibus publicis, nefandiſque populi ſceleribus: meditaretur, manũ ſuã à ſancto illo templo retrahere protectricem. quodq; Chaldæi, ac Babylonij, rege ſuo ſuperbiſſimo Nabuchodonoſor inſtigante, ſuas in illud manus inicerent, profanarent, demolirentur, vt nihil in eo integrum, nihil relinquerent nõ deſtructum: demum quòd ditiſſima flagella, & inaudita ſupplicia ciuitati ſuæ electæ Hieruſalem imminerent. Quibus auditis Baruch Propheta, nouis contendit ſtudiis, optare, ac cogitare vitã omnis perturbationis expertem, & vt Deo placeret, ſingularibus eum in populo honore priuilegiis. Citat Dominus Hieremiã: vade Propheta, tuo dic hæc diſcipulo Baruch: indecoras eius eſſe cogitationes, parum modeſtas eius prætenſiones.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſiones, meiſque cogitationibus minimè conuenientes. Pulchrum quid. An iudicat decorũ, quo tempore cogito meum deſerere templum, auxiliatricem ſubtrahere manum, illud ab hoſtibus eſſe diruendum, per Babylonios ciuitatem euertendam, quod ipſe ſibi meditetur quietem; & honorum poſtulet celſitudinem? Illi dicito, tales cerebro expellat cogitationes; ſuaſque meis conformet emendandas: *Sic dices ad eum: Ecce quos ædificaui ego deſtruo, & quos plantaui, ego euello, & vniuerſam terram hanc: & tu quæris tibi grãdia? Noli quærere,* &c. Omitte, chariſſime, tales omitte prætenſiones. Hoc Chriſtus diſcipulis ſuis hac poteſt obiicere occaſione. Loquor vobis de templi deſolatione, de corporis mei diſſolutione: *Tradetur in manus peccatorum:* tradar ego derïdẽdus, illudendus, conſpuendus, probroſa morte cruc figendus, ob hominum peccata; hæc meæ ciuitas humanitatis quâ nulla ſacratior, tribulationibus pœniſque circumdabitur, eius fœdabitur pulchritudo, ſanctitas veneranda damnabitur, vos autem gloriæ veſtræ, quieti, dignitatibus inhiatis, dextram meam & ſiniſtram ambientes: *Ecce quos ædificaui, ego deſtruo, &c. & vos quæritis vobis grandia? Nolite quærere.* Idem magno cordis affectu, ſenſuque triſtiori vobis & mihi poteſt Dominus exprobare qui dum mihi loquitur, & vobis in hoc ſuo Euangelio proponit ſuas illuſiones, conuitia, dolores, mortis cruciatus; totis viribus, noſtris ſtudemus delicijs, vacamus honoribus, quærimus dignitates optamus altiora, nec in nobis ſentimus, aut nos illi conformamus in ieiunijs, operibus pœnitentiæ; carnis macerationibus, humilitate, aut conſilio Apoſtoli monentis acquieſcimus: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, Ecce ego.* Caput meum intuere, ſpinis coronatũ, dumis hiſpidum, tu verò in tuo ædificas ventorum turres, mille prætenſiones ſuperbas, elatas ambitiones: *Et tu quæris tibi grandia? Ecce ego.* Meas inſpice manus clauis in cruce transfixas pro abliguritoribus bonorumque dilapidatoribus: tu verò tuas pauperibus collectas eas tantummodo diuitijs aperis congerendis: *Et tu quæris tibi grandia? Ecce ego.* Meos quæſo, pedes attende in patibulo harpaginibus terebratos, ob tuam leuitatem, enormemque immodeſtiam. tu verò tuos liberrimè protendis tuarum percurrens iter voluptatum: *Et tu quæris tibi grandia? Ecce ego.* Os meum cõſidera aceto felleque amaricatum: tu verò omnigenas quæris anxius carnis delicias: *Et tu quæris tibi grandia? Ecce ego:* Me miſerum meditare plagis in tui ſalutem, vulneribuſque cõfoſſum: tu verò terrenis te bonis opplere niteris, in tui ipſius detrimentum: *Et tu quæris tibi grandia?* Eia age amice: *Noli quærere,* ſed te Domino illi contempera, vt ei in gloria ſocieris; te illi in pœnis, tormentis, crucique morte, redde ſimilem, vt & illi in æterna valeas ſimilis eſſe beatitudine; hanc quippè nobis D. Paulus prælegit ſententiam vehementer veram atque indubitatam: *Si compatimur, & conglorificabimur: ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Sibi verò perſuadere; nullam hic Chriſti paſſionum habere ſocietatem, & glorias cum ipſo ſperare poſteriores; Melitidem ſapit.

His ſuffragatur D. Augu. dum verba Pſalmographi in perſona Chriſt perpendens: *Aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum.* Ex his ſic concludit: *Non ergo dedignetur corpus, quod præceſsit in capite, vt corpus hæreat capiti. Contemptus eſt Dominus tuus, & tu te honorari vis ab iis, qui longe facti ſunt à Sanctis? Noli tibi arrogare velle, quod in illo non præceſsit. Non eſt diſcipulus maior Magiſtro ſuo, nec ſeruus maior Domino ſuo. Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius?* O reſponſum admirabile exclamat D. Bern. In illud Euang. *Ecce nos reliquimus omnia, &c. Cum ſederit filius hominis, &c. Neſcitis quid petatis.* q. d. Num me peditem non attendiſti? Si ſedere quietem ſignet, & indicet dignitatem, quando me hoc in mundo ſedentem conſpexiſtis? Quid ego, num me ſtante vos ſedebitis? *Neſcitis quid petatis.* Quando moleſtum hoc & arduum opus, mihi à Patre iniunctum conſummauero, quando in terra calicem bibero pœnarum, afflictionum, vſque ad crucis patibulum, quem mihi propinauit, ad cœlos aſcendam glorioſus, ſedebo ad dextram vobis quoque, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me in tribulationibus meis, calicem meum exhauſiſtis; licebit ſedere glorioſos: *Cum ſederit filius hominis, in ſede Maieſtatis ſuæ: ſedebitis & vos.* Accurate diſputat D. Bernar. Quando ipſe ſederit, ait Chriſtus, ſedebitis & vos: attamen attende num illum vnquam in hoc mundo videris ſedentem, per ſeſſionem intelligendo, quietem, delicias, honores; imò num illum vnquam videris ſubſiſtentem, & an non potiùs in continuo curſu ac itinere ſalutem noſtram operantem: *Quando ille reſedit in mundo? quando ſubſtitit? Quando reclinauit caput? Exultauit ad currendam viam, benefaciendo pertranſiit, quippe nec nidum, nec foueam, nec locum habens in diuerſorio, donec opere tandem, quod ſuſceperat, conſummato,*

Hier. 45. 4

Phili. 2. 5.

Rom.

D. Au.

D. Be.

*mato, ſedendi præceptum meretur accipere: & dicet Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* Si il-
II. lum igitur ſtantem præcinctumque ad iter in-
Prius tuemini, num vos ſedere poſtulatis? *Neſcitis quid*
laborandū *petatis. Inſipiens tu, Iſte miniſtrare venit, non mini-*
quam *ſtrari, tu ſupra magiſtrū, & Domino maior, imò nec*
ſedendum. *diſcipulus, profectò nec ſeruus, recumbere iam feſti-*
*nas. Neſcitis quid petatis.* Multum tibi adhuc ſu-
pereſt itineris ac laboris, antequam conquieſcas.
Sed nec greſſum quidem adhuc cœlum verſus
firmaſti, & iam gloriam meditaris? Preſumis im-
(a) Sine manu ni... meritus, nullo præmiſſo labore, (a) ſed nec qui-
dem manum mittens ad aratrum meſſe gaudere
lætiori? Necdum ſtadium intraſti, & brauium
D.Be. cogitas? *Neſcitis quid petatis. Nec dum ad brauium*
*peruenisti, nec dum apprehendiſti metam, grandis ad-*
*huc reſtat via, noli ſiſtere gradum, noli in medio iti-*
*nere reſidere. In ſudore vultus tui comedes panem*
*tuum, donec in terram, de qua ſumptus es, reuerta-*
*ris: Et tunc ſanè tempus erit requiei nimirum quan-*
*do iam ſpiritus ipſe dicit, vt requieſcas à laboribus*
*tuis.* Tunc prætendere poteris quietem ſeſſionis.
Inſipientiæ argueretur nauta, qui in medio mari
naui optaret ſtationē, vbi ſemper venti inſurgunt
contrarij, qui nauim modò huc, modò illuc tran-
ſagitant: in portu quies eſt, ſtatio eſt ſecura. Con-
D.Be. ſequenter exponit D. Bern. vbi Dauid loquitur de
Pſ.121. domo Domini, ad quam inhiamus: *Lætatus ſum in*
*his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.*
Pſ.121. Addit: *Illic ſederunt ſedes in iudicio.* Perpende, mo-
net, aduerbium locale, *Illic, illic planè, non hic.*
Illic in domo illa superna Patris noſtri piiſſimi,
Deique potentiſſimi, ſedes collocantur quietis, in
quibus, illic non hic, ſedeamus. Vt oſtendat, ne-
mini in atrio Regis licitum ſedere, nullam ibi ſe-
dē inueniri. Non in hoc mundo ſedes Deus col-
locat gloriæ vel minimæ, illæ quippè in illo cœ-
leſti gloriæ habitaculo, nobis ſedendis decernun-
Iſa.32. tur: *Illic ſederunt,* ait Dauid. *Sedebit populus meus*
18. *in pulchritudine pacis, in requie opulenta* iurat Do-
minus: velle namque ſedere, vbi nullæ ſint ſedes,
Erynnis eſt; hoc quippè Dominus his duobus fra-
tribus clarius exprimit: *Neſcitis quid petatis.*

Secundum in his fratribus exponamus errorem;
quòd cum ore Dominico duo ſimul connexa in-
telligerent, mortem & reſurrectionem, pœnam &
gloriam, ignominiam & honorem, ad vnum tan-
tum attendant, quòd illis magis arridet, non ad
aliud. Media Chriſti verba ſumpſerunt, vnde &
illos, vt ſtultos perſtringit: *Neſcitis quid petatis,* ſi
III. mercatoris intrares officinam, ſericam ab eo ve-
Similitudo. ſtem empturus, diceret autem ille: da mihi pro il-
la centum ducatos, & illam tibi aſſume ac vade,
tu verò, nihil moratus, illam tibi imponeres, &
abire feſtinares: quod ſi tibi mercator obijceret.
Quid agis, quò pergis chariſſime? Domine, illam
mihi ſumo, dixiſti quippè, tolle illam & vade. Pla-
nè indiges Elleboro diceret ille; Non hoc tibi ſo-
lum dixi, ſed prius vt eius mihi pretium ſolueres;
hoc ſoluito, & eam tibi aſſumito. Hoc multi labo-
rant morbo, qui dimidiata Chriſti verba ſibi aſſu-
munt, alia verò omittunt velut inaudita. Immiſis
ille diues, ſpero, inquit Domine, Deum mihi fore
propitium, ſuam enim peccatoribus paratiſſimam
pollicetur miſericordiam. Veritati non derogo:
ſed non omnibus, & non niſi illis tantum, qui pro-
ximo fuerint miſericordes: *Beati miſericordes: quo-* Matt.5.7.
*niam ipſi miſericordiam conſequentur.* Vindictæ cu-
pidus, confido, inquit, mihi à Deo peccata remit-
tenda: ſuum enim mihi verbum, infallibile op-
pignorauit. Veritati conſentio, ſed non omnibus,
quibus igitur? Audi conditionem adiunctam: *Di-* Luc.6.38.
*mittite & dimittemini, date & dabitur vobis.* Quā
ſolutis habenis alter ſuas inſequitur voluptates?
Si redarguas: Frater, quid? tantane tibi diſſolutio,
tantane ſalutis negligentia? Fors te mors rapiet
inopinata malè præparatum. Domine: benignus eſt
Deus, iurauit: quacumque hora pœnitens acceſſe-
rit peccator, mihi veniā miſericors meorum con-
cedet peccatorū. Nemo contradicit: ait D. Aug.
attamen pariter tibi prædixit, quòd tibi nec tem-
poris momentum addixerit, quo poſſis veniam
requirere, & qui tibi promittit, quacumque hora
ſcelerum rogaueris veniam, eam ſe daturū; idem
tibi nec vitæ mediam promiſit horam; quid ad
hæc? Planè mirandum eſt licet quotidianū, quod
in auditoribus contingit concionum. Filiorum
impugnat prædicator contra parentes pertinaci-
ciam, perſuadet qua poteſt efficaciā verborum,
qua teneantur parentibus, obedientia; pariter quàm
ſtrictè teneantur parentes filiorum actionibus in-
uigilare, mores eorum componere, vitam docere
Chriſtianam. Aſſumit Pater primam partem, & ait
Papæ, quàm exactè dixit ille Prædicator, filios
parentibus debere obedientiam, &c. Nec aduertit,
quod ſi filios grauiter, pariter & ſeriò monuerit
parentes. Aſſumit maritus ea quæ contra mulie- Ezech. 2.
rum detonantur vanitates, non tamen illud quòd 9.
contra peruerſam maritorum declamatur inſolen-
tiam. Omnia tibi ſunt aſſumenda, ſicut Propheta
Ezechiel, cui Deus librum miſit quo res dulces
continebantur ſimul & amaræ quæque ad conſo-
lationem atque ad deſolationem ſpectarent: *Et*
*ſcripta erant in eo lamentationes, & carmen & væ.*
Cui ait: Propheta mi, comede volumen illud,
omnia degluti, læta carmina & lamentationes, &

*Apoc.* 10. væ. Idem legimus de D. Ioan. & Cortinas ta-
*Exod.* 26. bernaculi, voluit Deus ſibi inuicem ita ſtrictè
*Tract.* 8. copulari, vt ſi vnam attraxeris, alia neceſſariò
*num.* 168. ſubſequi deberet de quibus aliàs.

## §. 18. Acceſſit mater. *Sui parentes obliuiſcuntur filiorum cauſâ, quod Salomon execrabatur.*

☞ 29 NOta tertiò cum D. Ambroſ. quòd eo tem-
pore quo dicitur mater illa Chriſtum ac-
ceſſiſſe: *Acceſſit mater*, intelligi debeat,
quòd acceſſerit pro filiis rogatura: quia ſicut in
illis parentum amor inardeſcit, ita ad filios om-
nia eorum deſideria, ſollicitudines, actiones,
votaque diriguntur. Hoc in hiſtoria Euangelica
notam, nempe, quòd ſæpè Chriſtum acceſſerint
parentes, at ſemper pro filiis ſupplicaturi. Regu-
lis vitæ timens periculum filij ſui: totus anxius
*Ioa.* 4. 49. cucurrit ad Chriſtum: *Domine deſcende priuſ-
quam moriatur filius meus.* Princeps Synagogæ
pro filia moribunda, imò mortua Dominum ſup-
*Matth.* 9. plex rogat: *Filia mea modo defuncta eſt, ſed veni,*
18. &c. Parens cuius filius lunaticus erat ad Chriſti
*Matt.* 17. pedes prouoluitur: *Miſerere filio meo: quia luna-*
14. *ticus eſt.* Alius pro filio à dæmone arreptitio in-
tercedit. Quàm diligens, quàm humilis, quàm
conſtans Chriſti ſubſidium implorat mulier Cha-
*Matt.* 15. nanæa: *Miſerere mei, fili Dauid, filia mea malè*
22. *à dæmonio vexatur.* Mulieris huius, precor, ſpiri-
tum perpende, quæ filiâ à dæmone vexata, petit
ſibi fieri miſericordiam: afflictione quippè mater
torquebatur grauiori, dum filiam videt à dæmone
diſcruciari, quàm ipſa filia dirum tormentum à
I. diabolo patiebatur. Cum hæc ita ſint; nec filium,
Filij pro nec filiam inuenies, pro parentibus intercedén-
parenti- tem, aut de eorum ſalute ſollicitum. Percurre di-
bus non ligenter totam hiſtoriam Euangelicam. Vnicum
ſunt ſol- offendo, qui vocatus à Chriſto, parentis ſui defun-
liciti. cti curam gerere videbatur aliqualem. Sequar te
*Matt.* 8. 21. Domine, ſed *permitte me primum ire, & ſepelire
patrem meum.* Ita hoc eſt quod poſt puſillum ro-
gabunt, & quærent, & ne dicam vobis filij veſtri
procurabunt, qua vos ratione terræ mandabunt:
agere, & dare, quibus veſtris terram iniiciant ocu-
lis, irritationes, contemptum, inobedientiam, mo-
*L.* 3. *Con-* leſtias, tædium, rebellionem, &c. Quis (quærit D.
*tra vitu-* Chryſ.) magnum illum Heli interemit Sacerdo-
*per. vitæ* tem, totius populi Iſraelitici præſidem, de quo ex
*Monaſt.* eius tranſlatione ſic ſacra pagina teſtatur: *Erat*
1. *Reg.* 4. *ſenex honorabilis, & ipſe iudicauit in Iſrael vigin-*
18. *ti annis ſine querela*, niſi ſatisfaciendi illicitis fi-

liorum voluptatibus deſiderium, & quòd illos
contriſtare noluerit, ac pro inhoneſta cum mulie-
ribus conuerſatione caſtigare?

Quibus non afflictionibus Patrem ſuum Iacob
filij vndecim attriuerunt? Semel quidem eorum
duo, parentem ſummo vitæ diſcrimini in vrbe Si-
chimorum expoſuerunt, Iterum coierunt, vt om-
nem ei auferrent anſam voluptatis & quaſi vitam
abſtulerunt, patrato in fratrem ſuum Ioſeph ſce-
lere nefandiſſimo ſic vt totus diceret contriſta-
tus: *Deſcendam lugens in infernum.* Infernum vo- *Gen.* 37.
cat ipſum ſepulchrum. Ad quas eum redegit an- 35.
guſtias, ſuſpiria, anxietates, Dina vnica illi filia? II.
Quanto mœrore paternum pectus Dauidis, reſta- Paterni
gus filius Abſalon lancinabat, dum eum regio filij
pellit Palatio, etiam cogit excedere non equitem, pe[illegible]
ſed peditem? fugit Pater, plorat Pater, caput ope- te[illegible]
rit lugens Pater; ipſe filius Patrem plus quam cum[illegible]
omnes, irritat, inimici, familiam inhonorat, vxo-
res, ſtupete Superi, Paternas ſpectante populo, tur-
piter violat inceſtuoſus. Hunc præceſſerat Am-
mon Dauidis filiæ, ſororis Abſalonis Thamar op-
preſſor execrandus. Quis dolor, quis gemitus quæ
mentis acerbitas Dauidi, vt hæc audiuit? Quis ex-
primat quo cruciatu Iſaac & Rebecca ob gemi-
nos illos Eſau & Iacob vulnerabatur, dum Eſau
Iacobum odio perſequitur immortali? Quinimo,
& antequam nati, quanto maternum vterum do-
lore confecerint, dum adhuc illo concluſi angu-
ſto cœcoque carcere collidebantur, vt ipſa pia
mulier anxia quereretur: *Si ſic mihi futurum erat;* *Gen.* 25.
*quid neceſſe fuit concipere?* Has quotidie parentum 22.
ore querelas audimus, qui poſtquam tam inceſ-
ſanter Deo pro ſobole ſupplicârunt, eos ſibi futu-
ros conſilio, baculum ſenectutis, ac lumen ſpe-
rantes oculorum, eoſdem poſtmodum ſuæ ſene-
ctutis ſentiunt contemptores, honoris ſui gla-
dium, erucam voluptatum, vitæ peſtem; ac tri-
ſtes ingemiſcunt: *Si ſic mihi futurum erat, quid
neceſſe fuit concipere*, parere, alere, fouere filios in-
gratiſſimos? Ex hac ratione credo magni vatis Eli-
ſei deſcendiſſe propoſitionem. Frequens tranſibat
Sunam, quem hoſpitio liberaliter excipiebat *Mu-
lier magna* hoc nomine à Spiritu decorata. Illò 4. *Reg.* 4.
deſcedens Eliſeus, ne videretur tanto beneficio 13.
inhumanus, per famulum ſuum Giezi ij manda-
uit, quid ei poſſet in gratiarũ rependere actionem.
Reſpondet Giezi: *Ne quæras, filium non habet, &
vir eius ſenex eſt.* Omnibus in aperto eſt, quòd
mulier, diues, principalis, iuncta matrimonio, ſte-
rilis nihil poſſit exoptare, niſi filios. Obiicies: fieri-
ne potuit, vt hoc nouerit diſcipulus, quod præce-
ptor ignorabat? Plus diſcipulò nouerat Magiſter?

at intelligebat; mulieres decere prudentiores nihil minus quàm filios debere deſiderare: qui parentibus ſint cultet, crux, ſpina, quibus mille modis eorum viſcera durè compungentur. Illi ſunt, qui totam parentũ ad ſe trahunt ſollicitudinem, vt huius filij matris, quæ proprij oblita emolumenti, tota pro filijs intenta flagitat, vt eſt mundi praxis ordinaria. Hac de cauſſa non ſemel nomi-

Pſ. 127. 8. Pſal. 143. 12. nat Dauid filios nouellas oliuarum: *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum. Quorum filij ſicut nouellæ plantationes.* Vides oliuam ſeneſcentem, cui exeſa languet medulla, nidus eſt bufonum, ſerpentum, aſpidum, aliorumque animalium immundorum, areſcentibus ramis. Quid oliuæ deeſt? vnde languet, areſcit, deficit? Vides circumquaq; pullulantes nouellas, quarum vnaquæque ſit inſtar pini, viriditate foliorum oliua gratiſſima: ex altera vero folium triplicitum mirè iucundum. Non eſt quòd miremur oliuam areſcentem, langueſcentem, totam namque eius virtutem ſibi attrahunt germinantes nouellæ, ipſa quoque ſui oblita, eam ad illas tranſmittit. Quot tales in hoc mundo cernimus oliuas? Quot patres Dei ſuique immemores, pauperum, legiſque Euangelicæ obliti toti filiis ſuis ſuccurrunt? Illi ſuarum ſunt dux ac ſcopus actionum: *Hi duo filij mei* ait hæc mater: ille meus iuuenis, inquit pater, quem opto promotum ad dignitatem; hæc mea filia, quam diuiti deſidero iunctam videre matrimonio. Quis animus, dum infirmantur? Si contriſtentur, ſi doleant? Si illis poſſunt opulentum acquirere beneficium.

Sæpius in patribus aduerti, quod de Moyſe legimus, qui dum non vult vel minimam partem carnis filiorum ſuorum tangere, vitam ſuam periculo exponit manifeſto. Profecto in Ægyptum apparet illi nudo gladio terribilis Angelus, necem intentat, quòd ſuorum timens ſaluti filiorum, nec eorum ferre ſuſtinens lachrimas; eos circumcidere minimè audebat, Dei præceptis inobediens, vt ſaluti, voluptatique conſuleret fi-

Exo. 4. 24. liorum: *In diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Quoties hoc accidit? Audite Salomonem, poſt immenſas congeſtas regni diuitias pro filijs ſuis regni heredibus, melius

Eccl. 2. 18. poſtmodum ſapientem: *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quâ ſub ſole ſtudioſiſſimè laborau habiturus heredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui & ſollicitus fui. Et eſt quidquam tam vanum? Vade ceſſaui, renuntiauitque cor meum vltra laborare ſub ſole,* &c. Nihil eſt hic non magnopere conſiderandum, vbi ad viuum exprimit anxiam ac inquietam parentum pro filijs ſollicitudinem: vnde quærit: *Et eſt quidquam tam vanum?* Quid enim ego ſcio, num ſtultus, num prudens futurus ſit? Si ſtultus, nihil ei ſufficiet, & ſtulto diuitias relinquere, eſt gladium dare furioſo, quo ſe miſer interimat. Si prudens ac ſapiens, paucis contentus viuet, &c.

Hoc vtebatur argumento Phocion ciuis Athenienſis, ſpeculum vt virtutis, ita & ſapientiæ: qui cum ratione dignitatum, quas obibat primarias, plurimas ſibi poſſet opes cumulare, abſtinuit tamen aſſerens vitæ ſuæ tranſigendæ ſufficere vnicum agellum, quem poſſidebat; Vnde apud Græcos nomen obtinuit, vt χρηστὸς latine: *Homo frugi* diceretur: quo nomine Spiritus S. vtitur in noſtra vulgata lectione: *Homo frugi.* Id eſt, homo modeſtus, compoſitus, moderatus. De hac virtute ſic commendabatur, vt præcipuorum Principum ad ſe traheret oculos, qui omnes ei plurima auri pondera deferebant, illa tamen ſemper repellebat, reſpondens ſe illis non indigere, ſibique plus ſatis eſſe, quæ poſſidebat. Philippus Rex Macedonum Alexandri magni pater, immenſa illi auri argentique miſit talenta, dato præcepto legatis, illi dicerent, ſi ſibi illa accipere renueret, filijs ſaltem ſuis his conſuleret. Accedunt legati domum Phocionis, offerunt talenta, Reſpondet ille: ſibi his opus non eſſe, nec ea velle: replicârunt legati, ad minus ea filijs ſuis legãda ſuſciperet, ſuadet enim paterna de filijs cura, illos non deſerere rerum omnium indigos. Quibus Phocion aureâ planè reſpondet ſententiâ, quam ſemper optarem in ore haberent parentes: *Si mei ſimiles erunt idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit, ſin diſſimiles ſunt futuri, nolo meis impenſis, illorum ali augerique luxuriam.* O parentum vota filios ad altiora promouendi! O ſapientiſſimum Ioſeph, qui fratribus ad ſe in Ægypto accedentibus, vbi prorex rerumque Dominus imperabat, hoc dedit in mandatis, eos interroganti Pharaoni, vnde eſſent, ac cuius dignitatis, reſponderent: *Viri paſtores ſumus, ſerui tui, ab infantia noſtra, vſque in præſens.* Hoc ſtatu paſtorum alacres viuimus, nec plura requirimus. Eo modo in tantam creuere multitudinem.

Eccl. 31. 19.

III. Exemplum.

PHO.

Geneſ. 46. 34.

O quàm bene diuitem filium moriens relinqueres, & quàm illi ſaluτares diuitias; ſi de illo ita diſponeres, ſicut prudentiſſimus Tobias; cui hoc primum curæ erat, vt filius ſuus Deum timeret, eius mandata ſciret, conſeruaret, Diuinam cognoſceret maieſtatem, pauperes diligeret:

Tob. 4. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue, ne aliquando peccato conſentias.* Cumque illi multa de his perſuaſiſſet, adiungit: modica tibi relinquo bona, quibus viuas, nominatim autem quoddam debitum viri honorarij Gabeli. O quid non poſſunt in filios parentes, qui cum teneræ ſint plantulæ, minimo illos valent negotio rectâ in viam ſalutis dirigere nondum obduratos.

D. Aug. Lib. 3. Cōfeſſ. c. 11. & 12. Laudat Dominum D. Aug. quòd ea ſit matre in lucem editus, cuius hæc erant prima vota, lachrimæ, preces, non vt diues, ſed vt bonus euaderet: *Miſiſti manum tuam de alto, & eruiſti animam meam, cum pro me ploraret ad te mater mea, fidelis tua, amplius, quam flent matres corporea funera.* De patre acerbè conqueritur, cuius prima erat ſollicitudo vt filius viueret nobilis, ſanus, mundi ſeruus, ſagax: Lib. 2. Cōfeſſ. cap. cap. 3. *Cum interea non ſatageret idem pater meus, qualis creſcerem tibi, aut quam caſtus eſſem, dummodo eſſem diſertus, aut deſertus potiùs à cultura tua Deus.* Eadem ratione inuehitur acriter D. Chryſoſt. in tales, & eiuſdem rationes poſſemus multis parentibus proponere inuectiuas. D. Chr. Hom. 35. in Imperfe. Tom. 2. Lib. 3. contra vituperat. vitæ monast. Deinde ſic illos redarguit: *Perquam iniquum & indignum eſt, ſi filium tuum ad Reginam & Regem introducens, vt ipſum familiariſſimum Regi, chariſſimum Regi, chariſſimumque conſtituas, omnia & facis, & pateris, cunctaque moliris, nihil penitus, dum id quaris, omittens, aut ſubterfugiens, non ſumptus, non pericula, non incommoda non mortem ipſam, cœleſtis vero militiæ, cœleſtiumque munerum optione propoſita, non doleas, ſi extremum ſortiatur locum, ſitque omnium nouiſſimus.* Reſponde mihi, quæ filium tuum, tabulam raſam, docuiſti? Num illi perſuaſti vt aduerſa animo perferret patienti, & niſi calumniantibus indulgeret, culpaſque remitteret, certò ſciret ſe condemnandum? Vt humilitatem ſectaretur, ſuperbos enim à Deo ad inferna tartara detrudendos? Caſtus viueret, flammas quippe inextinguibiles Deum luxurioſis præparaſſe ſupplicium? Oppoſita omnia: *Fortaſſe ne tu quidem (ait) quænam iſta ſunt, noſti.*

## §. 19. Neſcitis &c. *Superbia vitium ſtultum, homini alienum, vt alæ campanis, Deo execrabile.*

☞ 30 CONuerſus Dominus ad diſcipulos ait: *Neſcitis quid petatis.* Domine, ſi te mater rogat, vt quid diſcipulis reſpondes? Quia nouerat (teſte D. Hieron.) In cap. 20 Matth. matrem ad hoc à filiis perſuaſam. Non eſt qui Deo falſa imponat, nec laqueos paret; ipſe quippe renes perſcrutatur, occulta reuelat, nouit abſcondita tenebrarum, intimoſq; cordis tui receſſus manifeſtat. Aſſerit Spiritus S. tantâ Salomonem à Deo dotatum ſapientiâ vt parum eſſet, quòd plantas herbaſque noſſet oculis patentes, ſed & *Virtutes radicum, & quæcumque ſunt abſconſa & improuiſa didici.* Sap. 7. Si Salomonem interroges, quis eum hæc omnia docuerit. Reſpondet: *Omnium artifex docuit me ſapientia.* Si igitur diuina ſapientia, eius potuit intellectum illuminare, vt nedum videret herbas & plantas, deforis patulas, ſed & ingenij acumine earundem caperet abſconditas radices, vnde illæ germinant; quanto potiori iure ipſa Diuina ſapientia hoc valebit ingenij acumine, quæ parum erat, quòd actus exteriores, & matris videbat geſtus, ſed & penetrabat vſque ad intimas cordis latebras, vnde illi enaſcebantur, ex affectu videlicet ambitioſo pro filiis, videbat quoque, quibus in hac petitione ſubdolis technis vterentur. Ipſum loquentem Deum audiamus: *Putaſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longe? ſi occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum & terram ego impleo.* Hierem. 23.

Quis dicat, meâ ſententiâ, quòd fidem ſignet Gentilium de Lynceo, quo D. Hieron. eoſdem conuincit, ex eo quod multa crederent impoſſibilia, quæ S. Euangelium de Chriſto prædicat, cum ita ſit, quòd talia multa ſimilia, hominibus adhuc in hac vita degentibus adſcriberent adulatores. Epist. ad Pammach. Erat autem hic Lynceus vnus ex illis Argonautis, de quibus Valerius Flaccus qui tam perſpicaci valebat viſu, vt cœlum contuens, nubibus obductum eodem obtutu ipſas penetraret nubes, Lib. 1. Argon. ſtellaſque cerneret occultiſſimas: ac terram aſpiciens, dignoſceret diſſita centum triginta milliaribus Gallicis, id eſt quadraginta tribus noſtratibus horarijs, & exiſtens in Lybia, ex monte quodam detegeret ipſam Carthaginem, eiuſque tandem claſſem in portu, cuius naues ſingulas numeraret. Hoc ſingulare de eo refertur (ait D. Hieron.) quòd oculis parietes penetraret, & clarè dignoſceret quæ ijs abſcondebantur. Hoc, licet fabulam, credebant infideles de mero homine, quanto magis hæc ſunt de Chriſto credenda, qui & homo, & verus Deus eſt, qui vt talis omnia cognoſcit, illiſque omnibus intimus adeſt, quæ eſſe habent, corpori tuo, animæ tuæ, tuiſque cordis penetralibus. Omnia videt, cognoſcit omnia, penetrat vniuerſa: *Non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius. A ſæculo, & vſque in ſæculum reſpicit. Diſcretor cogitationum, & intentionum cordis,* Eccli. 24. Hebr. 4. 12.

*cordis, & nõ eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius.* teſtatur Apoſtolus. Illos corporis tui peruadit parietes, illos tuos affectus motuſque exteriores, perſpicit abſcondita tui cordis deſideria, vota, prætenſiones, technas, machinationes. Ne tibi fallax perſuaſeris, quòd alterius ædes ingrediens ſub amicitiæ prætextu, Illicita intentione tibi ſoli cognita, te Deus non cognoſcit impudicum. Ne tibi hoc ſubrepat, quòd titulo, quòd pauperibus ſubuenias, pro decem ei vendas quod quatuor non valet, des verba veritati. Ne tu putaueris, quòd intrans Eccleſiam quaſi lucraturus iubilæum, intentione tuas harpagines iniiciendi, te Deo facere impoſturam: *Nolite errare, Deus*
Gal.6.7. *non irridetur.* Me, vel alium quemlibet, qui cuncta ſolius carnis oculis intuemur, vales circumuenire, Deum autem minimè. Cum igitur Chriſtus maternæ diligentiæ peruaderet radicem, & filiorum ambitioſam petitionem, illis reſpondit: *Neſcitis, quid petatis.* Stulta eſt veſtra petitio, paucis verbis, multas committitis ineptias. Verum equidem eſt paucis his verbis eos multa inconcinna ac planè immodeſta poſtulare.

☞ 31 Primum notatur ſuperbia: nihil enim tam impotens rationis quàm homo ſuperbiæ ſpiritu turgidus, eoque qui eo vſque aſcendit ambitioſus vt nullo iure, nullo merito non minus prætendat, quàm primarias in regno Dei ſedes occupare. Eſt ſuperbia in homine vitium inſipiens, eiuſque naturæ alienum: *Non eſt creata hominibus ſuperbia*; docet Spiritus S. more noſtro loquitur. (a)
Eccl.10. Non ſui inaures, non foſſoribus chirothecæ: non
(a) No ſe hazen los guantes para cavadores. enim illis conueniunt; ſic homini non conuenit ſuperbia: naſcitur quippe hæc ex rebus eminentioribus, quarum nullas, in humana natura reperimus, imò ipſam miſerijs ærumniſque repletam, teſtatur Iob: *Homo natus de muliere breui viuens*
Iob 14.1. *tempore repletur multis miſerijs.* Perpende verbum: *Repletur.* Non dicit impletur, ſed *Repletur miſerijs*; vt nihil ſit, quod ſuas non patiatur miſerias: Intellectus cæcus, hebes, ignorãs infinita, voluntas debilis, appetitus effrenis, corpus morborum omnium hoſpitale, caro mortis ſepulchrum, anima peccatis repleta: *Repleta eſt malis anima mea*, conqueritur Dauid: *Quid igitur ſuperbis terra &*
Pſ.87.4. *cinis?* Quod ventus ſubintret nubem leuem, qualem vidit propheta Ezechiel, eam vſque ad cœlum attollat, & ſtellis quaſi coæquet, formet tonitrua, fulgura vibret, nemo miratur: eſt naturæ quippe ſubtilioris, partes habet aërias, calidas leues, quas ventus attollit, & ignis accendit. Porro quòd molem terræ, lutum obduratum intret, & per aëra ſuſtollat quis vidit hominum? Quòd ſuperbia mentem infiget Angelicam, ſapientem, pulchram, perfectionibus multigenis abſolutam, dicatque inſolentius: *In cœlum conſcendam*, quid mirum? Verum ſi rapiat terræ fruſtum, vile, lutum, hominem abiectum in altum Iſai.14.13.
eo vſque tollat ſublimem, vt primas cœlorum ſedes aucupetur, nihil ſtultius. Obſcura valde legimus verba: *Væ terræ cymbalo alarum &c. qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper a-* Iſai.18.1.
*quas &c.* Campanæ alatæ, quæ ſuos mittit cum litteris legatos. Oecumenius ac D. Iuſtinus Martyr interpretantur, quòd vates loquatur cum Synagoga Iudæorum; quia ſe erant oppoſituri, ſicut & acerbiùs oppoſuerunt, Euangelicæ prædicationi, datis litteris per mundum vniuerſum. Hoc argumentum exactè proſequutus noſter hiſtoriographus M. Fr. Ioannes de la Fuente. In prolog. Ep. ad Ro. Lib.3.c.12. §.1. & ſeqq. de Monarchia.

Qua igitur vocat ratione Synagogam Cymbalum alarum? Præclaro Hyeroglyphico redarguit vitium; quod Deus ſemper in populo ſuo deteſtabatur, nempe ſuperbiam. Ita Dominus ſtatim ab ipſo principio Moyſi loquitur: *Cerno, quod populus iſte duræ ceruicis ſit.* Hoc ei vitium Exod.32.9.
affricat, vocans Synagogam, cymbalum alarum. Quòd alis volet columba, aquila, falco, aues, natura leuiores, & ad aëra ſuperanda promptiores, per me licet; verumtamen campana? quid illa grauius; ex ære conflata grauiſſimo, vt ad eam in campanili ſtatuendum multa requirantur brachia, funes nautici, fabrorum induſtria: hæc verò vt annaſcantur alæ, petat aëra? vnde illi hæc? Nihil tam monſtruoſum. Quòd alas habeat Angelus, quibus aſcendat, non miramur; eſt ei natura leuis, ſubtilis, ipſis aquilis mobilior, ipſis ventis celerior: at quod homo, qui nec ad vnam ſe poteſt bonam erigere cogitationem, niſi ſingulari Dei dono; ſuperbiæ, atque ambitionis alis ſurſum erigatur, hoc ab eius eſt natura alienum ac proinde monſtro ſimile reputatur.

32 Ita D. Hieron. intellexit hanc Dauidis orationem: *Ab alienis parce ſeruo tuo.* legit ipſe: *A ſuperbis.* Quia nihil à noſtra magis alienum conditione ipſa ſuperbia. Demum hinc lucem capit illud prophetæ Amos pronuntiatum. Audit propheta Dominum ſolemni iureiurando fulminantem: *Iurauit Dominus Deus in anima ſua &c. Deteſtor ego ſuperbiam Iacob.* Hoc Deo in more poſitum eſt (teſte D. Paulo,) quando nullo vult modo de verbo ſuo dubitari: *Interponit iuſiurandum.* Modo vidit propheta Deum interponentem iuramentum, & hoc per vitam ſuam, hoc enim ſignificat: *In anima ſua.* Hoc eſt ſupre- Pſal.18.14. Amos 8.7. Hebr.6.13.

mum omnium iuramentum, quo ſe poteſt, ait D. Paulus, Deus obſtringere, ſcilicet per ſemetipſum: *Non habet maiorem per quem iuret.* Quid ergo iurat, quod omni vult credi ſecuritate nec eius vllum ſupereſſe dubium? *Quia deteſtor ego ſuperbiam Iacob.* In Hebræo deteſtor, ſignificat: *Faſtidio*: quaſi apertè dicat: Viuo ego; faſtidio in homine ſuperbiam. Sumitur methaphora de muliere plebea, quæ magnam ſe vult præferre ac iactare dominam (a) vt autem talis eſſe videatur miram affectat in geſtibus, motibus, inceſſu, cõpoſitionem, ais autem: quàm mihi parit nauſeam talis mulieris ſuperbia, & cultus inordinatus. Ita de homine Deus conqueritur. An ergo Domine alia non ſunt tibi crimina moleſta ac immunda in homine, quæ tibi nauſeam pariant grauiorem? Quæ non adulteria? Quis ſanguis corruptus, quis effuſus? Annuo. Hæc tamen habent in homine quoddam motiuum. Carne conſtat, non miror ſi ad delicias carniſque incline ur voluptates. Sanguine abundat plurimo, nec multum, ſi efferueſcat, ſi igneſcat. Inopia laborat, quid miteris, ſi manus occludat pauperibus. Attamen ſuperbia, quo quæſo vilis homo ad hanc in ſe obiecto inſtigatur? Nullum inuenies omnino, at magnam humiliandi materiam: *Humiliatio tua in medio tui.* Te ipſum circumſpice. Ea de cauſa, hoc præ cæteris eſt vitium deteſtandum & abominabile; inquit Sapiens: *Pauperem ſuperbum.* De quo ſe poteſt iactare indigens omnibus? Et qui tam pauper, ac Iacobus & Ioannes, qui etiam hoc parum, quod poſſidebant, deſeruerant, vnde illis nata tam ſuperba cogitatio, vt primarias in Dei regno ſibi ſedes vendicarent? Hoccine poſtulas? Ipſi Lucifero ſuperbia nimia hæc erat in eoque deteſtanda.

II. Similitudo. (a) Se pome don.

Miche. 6. 4.

Eccli. 25. 4.

Expendit D. Bernard. Luciferi ſuperbiam, dicentis: *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* O viuentium ſuperbiſſime, nihil aliud ſupereſt, quàm nullo præmiſſo merito ſedes prætendere, & in monte ſedere teſtamenti? Supremi adſtant Angeli ſupremæ Dei Maieſtati: ſtantes vidit Iſaias Seraphinos: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum* &c. *Seraphim ſtabant ſuper illud* &c. Stantes vidit Daniel Angelorum Legiones: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Hoc quoque de ſe Raphael Angelus Tobiæ fatebatur, qui ſe ipſum ex hac circumſtantia, quis eſſet, indicabat: *Ego ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Et tu (inquit Bernard.) ais: *Sedebo? Vbi ſtant omnes, vniuerſi miniſtrant, tu pacis inimice ſedebis? Quid laboraſti, vt iam ſedeas?* O Sanctiſſimi Apoſtoli, ſi ſupremo Angelo tanto vitio vertitur illa ſuperbia; quid erit de vobis tenuiſſimæ ſortis hominibus? Et quæ tua, ambitioſe, ſuperbia, qui nihil tam anxius quæris quàm primas ſedes occupare, qui vix ſcamno, inſideas, gaudes opulentus? Necdum didiciſti diſcipulus eſſe veritatis, & cathedras ambis, prælati, Epiſcopi? Apage: *Neſcitis quid petatis.*

Ser. 2. de tribus teſtimoniis, & Ser. de S. Benedicto.
Iſai. 14. 11.
Iſ. n. c. 9. 1.
Dan. 7. 10.
Iſai. 6. 1. & 7 10.
Tob. 12. 15.
D. Bern.

## §. 20. Neſcitis. *Stultitia imputatur, onera petere, ad ſedendum, vt ipſa regalis exprimit corona, & propinqua Elimelech.*

ALteram ſtultitiæ ſpeciem aperimus, onera quærere ad ſedendum: *Dic vt ſedeant.* Dignitates ambis, vt ſedeas? *Neſcitis quid petatis:* Quid eſſe cogitas Epiſcopum, Archiepiſcopatum, Pontificatum, an vt ſedeat? quid tibi perſuades dari, dum tibi conceditur vrbis regimen, iudicis officium? An vt ſedeas? Stulta nimis eſt hæc opinio. Neutiquam, ſed vt ſtes erectus in pedes, te mille laboribus, curis millenis præparatum accingas, vt huc, illucque diſcurras opitulator. Explanat D. Bernard. Seraphim quos vidit Iſaias ſtantes: *Et Seraphim ſtabant.* Solus quippe Deus ſedebat: *Vidi Dominum ſedentem.* O Magnum Seraphim: *Et Baptiſta erat lucerna ardens & lucens;* Non ſedet: *Amicus autem ſponſi ſtat, & gaudio gaudet, propter vocem ſponſi. ſtat Ioannes, neque enim arundo eſt vento agitata,* hoc eſt, *ſtare: ſtabat iuxta crucem, niſi Moyſes ſtetiſſet in conſpectu eius, ſtat, quia amicus, ſtat, qui ardens eſt; & Seraphim ſtare deſcribitur, verus amicus ſponſi, qui procedentis thalamo ſuo non æmulatur gloriam, ſed parat viam, ſed prædicat gratiam, vt & ipſe de plenitudine eius accipere mereatur, Lucet ergo Ioannes tanto vtique clarius, quanto amplius feruet: fidelis Lucifer qui ſolis iuſtitiæ non vſurpare venit, ſed prenuntiare ſplendorem, non ſum ego, inquit, Chriſtus, ac ſi manifeſtè Lucifer dicere videretur; quid admiramini intuentes ſplendorem meum, non ſum ego ſol.* O Lucifer fœdifrage! *Qui mane oriebaris, in veritate non ſtetiſti, quia Seraphim non fuiſti: quia Seraphim ardens & lucens interpretatur; tu vero miſer habuiſti lucem, ſed ardorem non habuiſti, bonũ erat tibi magis eſſes quam Lucifer, cecidit ergo Lucifer, vt fulgur de cælo, Seraphim vero ſtabat ſuper illud. Stant Seraphim attoniti, & ſuſpenſi in contemplatione*

Ser. 3. ſuper Vid. Dom.

" *plation ſedentis in throno, tu ſedere tentaſti, ô im-*
" *pie! propterea tui moti ſunt pedes, & effuſi ſunt*
" *greſſus tui, filius eſt, qui ſedet in throno, Dominus*
" *Sabbaoth, Seraphim vero ſtant extendentes ſe, &*
" *intuentes in eum, in quem proſpicere concupiſcunt.*
I. Moyſes mori proximus, pro populo, quē regebat,
Quæ ſint ſollicitus, ne ſine paſtore grex in diuerſa rapere-
conditio- tur, ad Deum ſupplex confugit, ipſe ſuo ore
nes boni nominet, ſua manu conſtituat plebis gubernato-
ſuperio- rem, hoc autem poſtulando, pariter tanto mune-
ris. ri conditiones proponit requiſitas: *Prouideat Do-*
Num. 27. *minus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui*
*ſit ſuper multitudinem hanc & poſſit exire & in-*
*trare ante eos, & educere eos, vel introducere ne*
*ſit populus Domini, velut oues abſq; paſtore.* Om-
nia verba hæc expendit Origenes. Primum, obſe-
ſecrat Deum, ipſe proprio ſtatuat iudicio populo
præſidem: non enim decet humano fauore eligi
ſuperiorem, non gratia parentelæ, non reſpectu
carnis aut ſanguinis, non mulierum intercellio-
ne, prout hi duo fratres nicebantur, ſed Dei o-
re, Dei manu, Dei electione. Eo modo pri-
mates Eccleſiæ præſides elegerunt: vno quippe
deficiente, Iuda ſcilicet proditore, in concilio
cōgregantur, Diuinā implorāt gratiam, vt in eius
Act. 1. locum eo dignum ſufficere dignaretur: *Tu Domi-*
26. *ne, qui corda noſti omnium, oſtende quem ele-*
*geris ex his duobus vnum.* Secundum: Domine:
aſſignat propoſito conueniens agnomen: *Domi-*
*nus Deus ſpirituum omnis carnis*. q. d. Tu Domi-
ne, qui omni carni ſpiritum infundis & animam,
tu Domine, qui propria manu omnium hominum
animas artifex procreaſti (hoc quippe ſignificat:
*Omnis carnis*, vt olim dixerat: *Omnis caro caro*
Gen. 6. 12. *corruperat viam ſuam*) illaſque carnibus ac cor-
poribus infudiſti. Deſignat quis eſſe debeat Præ-
latus in Republica, ſicut anima in corpore, qui
det ei vitam, ſpiritum, & vires, qui totus ſit in
tota, & totus in qualibet eius parte, vt nec mini-
mæ parti, nec vnico deficiat capillo. Talis ſit,
oportet Superior, anima corporis myſtici, qui
curam gerat pauperis miniſtri, viduæ deſolatæ,
pupilli egeni: ſuccurrat huic conſilio, illi eleē-
moſyna, alteri conſolatione, tantaque cunctis
adſit ſollicitudine, vt totum ſuum eſſe in illo
vnico habere videatur. Concludere, num qui ta-
lis eſſe debet, tempus locumque ſedendi ſit ha-
biturus.

Tertium: *Qui ſit ſuper multitudinem hanc*: ex-
primit meā ſententia, quæ diximus de ſpiritu,
qui ſuper omnes partes eſt corporis, inſuper ma-
gnas ſignificat vires, patientiam magnā, eximiam,
qua excellere debet, ſapientiam, vt ſuper omnes
eſſe poſſit, vt Protector, vt prouiſor vniuerſalis, vt
ſol Reipublicæ, de quo verificari poſſit illud Ec-
cleſiaſtici: *Sol illuminās per omnia reſpexit, & gloria* Eccli. 42.
*Domini plenum eſt opus eius.* Sit cœlum, terræ 16.
pallium vniuerſæ, cui influentias ac lucem ſuam
communicet: *Super multitudinem*, & ſuper omnes:
triſtem ſoletur ſuauius, pauperi ſuccurrat libe-
ralius, effrœnem coërceat audacius, immorige-
rum corripiat fortius, reprehendat delinquentem
animoſius: *Corripiat inquietos, conſoletur puſil-* 1. Theſſal. 5.
*lanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes.*
vt ait D. Auguſtin. ex magno illo Prælatorum
inſtructore D. Paulo mutuatus. Sit vt animal
illud Ezechielis, tot tamque diuerſis videat fa-
ciebus; videat vt leo, vt homo, vt vitulus, vt
aquila: ſit quibuſdam vt homo benignus, alijs
vt leo terribilis.

Hanc præ cæteris inuoluit difficultatem mu- 34 D. Gr.
nus Prælaturæ, quod ſtylo pereleganti ponderat *Apolog. 1.*
D. Gregor. Nazianz. dans rationem, cur electus *non longe*
in Epiſcopum, onus detractans fugam arripue- *à Princi-*
rit. Terret (inquit) me onus prælaturæ eſt nam- *pio.*
que curam gerere tantæ, tamque variæ perſona-
rum multitudinis hominum qui ſicut numero, ſic
differunt conditionibus ſibique contrarijs humo-
ribus: *Profecto ars quædam artium eſt, & ſcien-*
*tiarum mihi videtur, hominem regere: eſt namque* D. Greg.
*animal maximè varium, & multiplex.* Et paulo Nazia.
inferius adducta ſimilitudine ſe clarius exponit:
*Quemadmodum ſi quis belluam variam, & mul-*
*tiplicem ex multis belluis magnis iuxta, paruiſque*
*feris, mitibuſque conflatam cicurare, & ducere ag-*
*grediatur: huic in natura adeo varia, & prodi-*
*gioſa gubernanda, maximus proculdubio labor ſub-*
*eundus eſt.* Tale eſt Reipublicæ corpus, tot tam-
que varijs ſibique repugnantibus conſtans condi-
tionibus, quot ſunt qui in ea viuunt; omnibus
adeſſe debet Prælatus auxiliator. Sententia eſt
D. Gregorij, negotium eſſe intolerabile, & quod
anxium reddat virum maximè prudentem, ex eo 3. p. Paſto.
quod (inquit) homo animal ſit tam varium, vt c. 3.
impoſſibile ſit in omnibus illæſam ſeruare pru-
dentiam. Iam hunc cernes ex nimia hilaritate
moribus diſſolutum, nunc illum præ nimia triſti-
tia melancholicum: modo ſe nimis effundit,
modo ſe plusquam conueniat, alijs ſubtrahit:
iam totus garrulus vt graculus, iam totus ſi-
lentiarius vt Anachorita, &c. Quàm varius, III.
quàm anxius, quàm dubius eſſet medicus qui in- Similitu-
firmum cerneret, ſingulis horis nouis ac mor- do.
bo ſuo contrarijs accidentibus agitari? Si igi-
tur ex hac varietate, res eſt plena negotij ho-
minem regere, quid erit, quàm arduum,
quàm

quàm difficile tot, tam varios tamque ſibi contrarios prudenter, ſapienterque gubernare? Hoc munus eſt ſuperioris. Iudica, ſi talia illi incumbant, num locum ſedendi ſit conſecutus.

Quartum: *Qui poſſit exire & intrare*. Qui antecedat, modò vt alicubi intret, modò vt diſcedat. Hoc eſt, vt ipſe in ſe vitaq; ſua, ſit omnium virtutum exemplar, quæ debent exerceri, ſimul & vitiorum, à quibus ſit fugiendum. Ipſe in ſe ſit exemplum omnibus agendorum, ſit vt Dauid bonus paſtor, qui oues præcedat illas inſtruens manibus ſuis: *In intellectibus manuũ ſuarum deduxit eos*. Sit orationis ſpeculum, honeſtatis, abſtinentiæ, patientiæ prototypon, doceat ſuperbiam, iram, inuidiam, gulam, accediam fugiendam. Collige num ad illa rite peragenda, locũ ſedendi ſit habiturus.

Pſal. 77. 72.

Tandem ait: talis ſit, & ita populo præemineat, quantum paſtor ouibus: *Ne ſit populus Domini, ſicut oues abſque paſtore*. Populus oues ſunt, Prælatus paſtor. Tanto præclariorem eius eſſe conuenit vitam, opera, virtutes, ac tanta perfectione oportet ea operetur, quãtò vita munuſque paſtoris ouium eminet conditione ſublimiùs: de quibus D. Greg. Nazianz. fusè diſcurrit, ex quo D. Hier. eius diſcipulus dicendi ſumpſit argumentum: *Futurus Paſtor Eccleſiæ talis eligitur, ad cuius comparationem, rectè cæteri grex nominentur*. Imo & D. Greg. eandem doctrinam modò iiſdem, modo diuerſis verbis ſæpius repetit. Attende igitur reſponſum Domini, petitioni Moyſi conueniens. Reſpondet: gratum habeo quod petis, ego ipſe Prælatum, qualem conuenit multitudini populi prouidebo. Quis ille, Domine? *Tolle Ioſue filium Nun &c. Stabit coram Eleazaro Sacerdote*. Hoc verbum: *Tolle*, vim quandam indicat, ac violentiam, talem, quali furem ad crucem trahunt ſatellites. Ita Dominus Moyſi de ducibus illis, quos damnat cruciſigiendos. *Tolle cunctos principes populi & ſuſpende eos contra ſolem*. Ita quoque de Ioſue: *Tolle Ioſue*, coge illum, de loco vbi ſedet, extrahe, nolo ipſe ſe muneri ingerat vltroneus, procuret, ambiat, ſe non inuitatus intret. O dignum Prælatum vi adactum, ex angulo erutum, de monaſterio abſtractum, ad dignitatem promotũ, qui quaſi ad crucis ſupplicium deducatur, vt S. Martinus, quem dolo Epiſcopum conſecrarunt; & D. Gregorius Neocæſarienſis, & D. Gregorius Magnus, D. Ambroſius & alij quam plurimi, de quibus laudabiliter Annales Eccleſiaſtici; qui nihil ita cordi capiebant, quàm neſcire, ſe dignitatibus ſubducere, latere, notique eſſe nemini.

In Apolog. c. 1. in principio.
D. Hier. Epiſt. 53. ad Ocea.
Tom. 2.
Num. 27. 18.
Num 25. 4.

Primum igitur præcipit: *Stabit coram Eleazaro Sacerdote*. Hæc autem prima ſit Principis, Regiſque ſollicitudo, ſtet coram ſummo Pontifice, ac Prælatis Eccleſiæ, vt eorum obediat celer præceptis. Significat, hanc præcipuè ſollicitudinem eſſe debere poteſtatis ſæcularis, vt parata ſit ſemper poteſtati ſeruire ſpirituali. Verumtamen optimè delineat Prælatum. Primum: ſciat ſibi non eſſe ſedendum, ſed ſtandum: *Stabit*. Stare, ſymbolum eſt eius, qui paratus eſt ab vna & altera parte dare auxilium. Ob hoc (inquit D. Gregor.) & probat D. Bernard. Chriſtus D. Stephano ſtans apparuit: q. d. Amice ne timueris, fideliſſime, paratus aſto tibi auxiliaturus. Prælatus ſtans, vt velox pauperem defendat, qui iniuſtè opprimitur, prœlia promptus occurrat impio, ne pecuniam propudio ſui corporis emercatur; effrenem imperterritus coërceat, qui noctibus turbat ciuitatem, ſeruus omnibus ſeruiat, D. Pauli imitator. *Omnium me ſeruum feci*. Congruit ſeruis ſtare. Quo tempore me Deus Epiſcopum creauit, me ſeruum omnium eſſe intellexi, proinde mihi perſuaſi, mihi incumbere ſedere numquam, ſtare ſemper. Errorem ſapit, Prælatum conſecrari cui omnes ſeruiant, qui ſedeat, qui quieſcat otioſus: non creatur populus, vt illi ſeruiat, eligitur ille vt populo ſedulus deſeruiat. Vnde dum Dominus Dauidem vnxit in regem, cum de ijs plenius inſtruxit, quæ ab illo hoc munere prætendebat: *Cognouit Dauid, quoniam confirmaſſet eum Dominus Regem ſuper Iſrael, & quoniam exaltaſſet regnum eius ſuper populum ſuum Iſrael*. Textus Hebraicus, vt noſter notat Caietan. legit: *Propter populum ſuum*; q. d. Deus. Noueris ô Dauid quod te Regem non creauerim, vt tibi populus ſeruiat, te lautè excipiat, ſed vt tu populo in omnibus ſeruias: *Propter populum*. Seruus Superior, Princeps Prælatus, ad hoc enim eligitur, ad hoc inſtituitur. Laude digna „ eſt illa celeberrimi Philonis annotatio, circa il- „ lam ceremoniam, qua vſus eſt Pharao Rex Æ- „ gypti. Cum eximiam audiens ſapientiam, quâ „ Ioſeph Patriarcha ſua expoſuerat ſomnia; talem „ eſſe iudicauit gubernatorem populi digniſſi- „ mum, vnde dum illum vult in proregem plebi „ ſuæ præficere torquem auream collo eius iniecit: „ *Tu eris, inquiens, ſuper domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet &c. collo torquem auream circumpoſuit*. Quid „ hoc, vt eum totius populi conſtituat Principem, eius collo torquem auream componit? „ Catena collo appenſa magis præfert ſeruum „ quàm Dominum; quia phraſi Scripturæ, libertas declaratur collo libero, quocirca Dominus vt exponat ſuas contra populum querelas, „

Hom. in Euang. Ser. ... pro Iſua.
1. Cor. 19.
2. Reg. 12.
Gen. 41.

cum

eum eſſe contumacem, Deo rebellem, ait: *Populus duræ ceruicis es:* id eſt non ligatæ, non flexibilis. Et vt populum ſuum moueret, vt ſe ſeruitute eximeret, & in priſtinam aſſereret libertatem: ſic ait: *Solue vincula colli tui captiua filia Sion.* (Iſa. 52. 1.) Tandem dum ſibi Dominus vult ſubiicere mancipium, collo catenam ſeu annulum circumponit, hoc namque ſymbolo ſeruus eſſe dignoſcitur, ſicut ipſa catenæ ſolutio ſignum eſt libertatis. An ignoras, quærit Philo, quod eſſe populi Principem, ſit eundem eſſe mancipium, quia ſicut ſeruus totus quantus eſt, non ſui ſed Domini eſt, ita Princeps ac ſuperior, totus communi Reipublicæ bono eſt alligatus, obſtrictus illi occurrere in proſperis & in aduerſis, nocte, & die, in pace & bello. Concedo catenam eſſe auream, attamen ſtringit, ligat quaſi ferrea, & bene expoſuit Antigonus Rex Macedoniæ, de quo Ælianus. (Ælia. Li. 2. de var. Hiſt.) Quod dum filius ſuus princeps, quia princeps, ſuis maiorem quæreret voluptatibus licentiam, ſic grauiter eum monet: *Ignoras fili, regnum noſtrum eſſe quandam nobilem auream, & honorificam ſeruitutem?* An non vulgare eſt prouerbium, viros aureis compedibus vinctos inueniri? Aureis torquibus conſtringuntur, ac condemnantur in Reipublicæ ſalutem gubernatores. Hoc Dominus Dauidi declarauit: *Confirmauit eum Dominus regem propter populum ſuum.*

35 Hoc ſuppoſito pedem vlterius proferamus. Qui decem (quæſtio proponitur) ſeruire tenetur Principibus, poſſet ne ſedere? & qui centum? & qui mille? Quinimo hoc ipſis Chriſtus intimauit, quos protoprælatos Eccleſiæ ſuæ elegit, vt eos vidit de primaria dignitate contentioſos: O deſideratiſſimi mei diſcipuli, quàm parum noſtis, ad quid ſedes in regno meo præparentur: non vt quis in eis ſedeat, dormiat, opiparè foueatur, nequaquam at vt ſeruiat omnibus, prout in me conſpicitis: *Filius hominis*, eximius ille Prælatus ſummus Pontifex, & Princeps Paſtorum: *Non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, dare animam ſuam &c.* Explanat moralis doctor epithetum ſingulare quo propheta Iob Principes, Prælatoſque adornat: *Qui portant orbem.* (Iob 9. 13.) En tibi propriam, inquit, reipublicæ rectoris, Superioris, Regiſque definitionem eſſentialem: *Qui portat Rempublicam, qui portat regnum.* Miſerere mei Deus. Si vir ſibi molarem imponeret lapidem, an illi vacaret ſedere, quieſcere? Si montem imponeret, ſi cunctos Hiſpaniæ montibus grauaretur. Hoc eſt (aſſerit Diu. Gregor.) mundi Prælatum conſecrari, totum tuis humeris mundum ſuperimponi: Præſidem eligi Prouinciæ, vel ciuitatis, totam hanc humeris tuis molem iniici? Eà namque de cauſa Rex græcè βασιλεὺς latine *Baſis populi* dicitur: quia totum illi innititur pondus regni, tribuum, alium, Curiarum: Nobiles, plebei, fora, baſilicæ mercatorum, &c. Proinde non malè quidam hæc verba perpendunt Domini per Ezechielem: *Super ducem onus iſtud* In Hebræo nomen Dux ab eadem radice deriuatur, à qua onus. (Ezec. 12. 10.) Hinc capies rationem cur corona Regibus imponatur. Corona regnum præfert, gemmæ vero pretioſæ, ac picturæ, eiuſdem loquuntur prouincias ac ciuitates. Hoc ſignificat ipſe Rex, dum ait: Hæc ciuitas ſeu prouincia pertinet ad meam coronam: coronam autem capiti Regis imponi, inſinuat, quòd eius capiti, eius curæ, eius diligentiæ vt onus imponatur tota Respublica, ciuitates omnes, villæ, loca, viri, mulieres: eo quod tota pax, quies, conſolatio, regnorum fortitudo, de capite, & ſollicitudine ſuorum pendeant Regum ac Superiorum.

(III. Tributa ex iure debentur regi.) Super hoc fundatur ius, quo pollent Reges, ac ſuperiores, petendi à ſubditis ſuis cenſus, redditus, vectigalia in ſui alimentum, vt negotiis ſuccurrant neceſſariis, in conſeruationem, Reipublicæ defenſionem, vt omnes ſuos intendant ſenſus in beneficium, ſalutemque ſubditorum. Quia ſi illis media non eſſent ſufficientia, ad vitæ ſuæ, auctoritatis ac ſtatus conſeruationem; maior curarum pars illis neceſſariis conquirendis impenderetur vnde nec omnibus ſenſibus, mente ac prudentia poſſent intendere Reipublicæ ſibi ſubditæ. Vt verò eius ſoli proſpiciant emolumento, illis ab inferioribus abundè quod vitæ neceſſarium eſt, prouidetur, ita vt, aliis non diſtrahantur curis quàm vt populi inuigilent proſperis ſucceſſibus, quieti, saluti: hoc enim illis onus imponitur, dum aliis præficiuntur. Nunc igitur, ſi prægrandem conflares coronam, illique lapides inuolos vt molares, ſeu rupes intexeres, illamque capiti eius imponeres, eum, quæſo, interroga, num illa ipſi ſit quietem allatura, num cum illa quietus poſſit reſidere. Ex his igitur liquidò cognoſces, qualis poſſit eſſe Prælatus qui omnium curas debet ſuſcipere. O quàm grauiter D. Paulum hoc munus, hoc onus deprimebat qui ad longum ſuis recenſitis laboribus, aduerſitatibus, ieiuniis, vigilijs,

giſ ijs, perſecutionibus, carcerum vinculis, lapidum imbribus, addit: *Præter ea, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* (2. Cor. 11. 28.) Hæc mihi multo ſunt moleſtiora, quàm ieiunia, carceres, perſecutiones, flagellis cædi, lapidari. Per ſententiam, num ſint dignitates ad quietem, & ſeſſionem deſtinatæ otioſam. O ſi hæc altius attenderent Prælati (ait Diu. Bernard.) qui prælaturas auidius ambiunt, pedem cito, ne dubites, ab inſtituto retraherent: *Meditantibus quidem honores, blandiuntur, ſed onera penſantibus, tædio ſunt, atque formidini. Non omnes autem capiunt hoc verbum. Multi enim non tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad honores ſi eſſe ſentirent, & onera. Grauari profectò metuerent, ne cum tanto labore, & periculo quarumlibet affectarent inſulas, dignitatum. Nunc verò quoniam ſola attenditur gloria, & non pœna purum eſſe clericum, erubeſcitur in Eccleſia, ſeque viles exiſtimant, & inglorios, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint ſublimati.* (D. Bern. Ep. 42. ad Henric. Senonenſ. Archiepiſ.)

39 (IV. Allegoria.) Intentioni noſtræ ſeruit hiſtoria mulieris Ruth. Mortuus eſt vir quidam affatim diues nomine Elimelech, relicta vidua coniuge ſua Ruth, ac agri cuiuſdam poſſeſſione gratiſſima. Illum quidam eius cognatus appetiit, pretium obtulit emere enim peroptabat. Cui Reſpondetur; ſciret, illam poſſeſſionem ſecum magnum onus inuehere, nimirum, quod qui agrum illum emeret, vxorem defuncti ſibi in vxorem deberet acceptare: *Quando emeris agrum de manu mulieris Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti eſt, debes accipere.* (Ruth 4.) Hoc ſibi grande cenſuit onus: & bene quidem (ait Feuardentius in Ruth.) (Feuardent.) vt enim ſacræ literæ indicant, iam ille iunctus erat matrimonio, propriamque habebat vxorem, cui plus ſatis erat, eiuſdem curam gerere, quocirca reſpondit: quod tantum ſibi onus aſſumere non præſumeret, vnde & ait: *Cedo iuri propinquitatis, tu meo vtere priuilegio.* Tu tibi emito agrum, tu tibi tantum pariter onus imponito, tu viduæ curam agito, tu illam tibi in vxorem ſociato, mihi plus ſatis negotij faceſſit vnica mulier vnica domus. Hoc paraphraſis Chaldaica clariùs explicat: quòd ſcilicet hoc modo reſponderit: *Hoc damno non poſſum redimere mihi: Cum enim vxorem habeam, me non deceret alteram ſuperducere, quandoquidem contitarentur ob id domi meæ diſcordiæ, & fraudarem hereditatem meam. Reddito tu tibi, &c.* Tu cui grata nimis arridet dignitas, prælatura, officium ſenatoris &c. Hoc vehim ſcias, quod ſi mitram exoptes, tibi vidua, Eccleſia eſt aſſumenda, & eius parochiam, eam vt ſponſam habeas oportet. Tibi verò Reſpublica, cura eiuſdem animæ, pauperum, afflictorum, diſcordium. Perpende mulierem iam vnico te habere, animam tuam, plus ſatis negotij tibi faceſſet pro illa Deo reddere rationem. O ſi hoc attenderis, quomodo diceres: *Cedo iuri propinquitatis &c.* Hoc argumento vtebatur D. Gregorius Nazianzen. qui dum ſe audit Antiſtitem electum, fugæ ſibi conſuluit, & poſtmodum ſuæ fugæ dans rationem, eo quod plures obſtreperent, compoſuit tractatum Apologeticum, quòd acceptare, inſuper & prætendere prælaturas, nihil aliud ſit, quàm ſibi proponere quod in eis pulchrum, honorificum, opulentum efferetur, ſe Dominos eſſe ab omnibus cultos, reuerendiſſimos: *Vitæ adiumentum atque ſubſidium hunc ordinem eſſe indicantes, at non muneris reddendæ rationi obnoxium, ſed imperium liberum, ac referendarum rationum metu ſolutum.* (D. Greg. Naz. Apolog.) Qui hæc, vt ego, perpendat, his oneribus annexis dicet: *Cedo iuri, &c.*

### §. 21. *Prælatura magnum onus, meritò fugiendum, ob ea multa ad quæ obligat, quæ mitra, ac Diui Gregorij dolor ſignificant.*

Demum ait Chriſtus: *Neſcitis quid petatis:* (Mt.) quia non eſt munus ac dignitas, vt ſibi perſuadebant, res plena delicijs, grata quieti, apta ſeſſioni, proinde ſtatim illos interrogans adiungit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* q.d. Noueritis, amici quod ambire prælaturam, ſit manu calicē arripere pluſquam felleum: ſi vt oportet, officium exequamini. Nemo non approbat vt veram hanc D. Pauli ſententiam, licet à pluribus indoctis malè intellectā: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* (1. Tim.) Hanc SS. Patres varijs enucleant conceptibus. Primò D. Hier. Notat hoc verbum: *Opus. Opus non dignitatem, laborem non delicias, opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* (D. Hier. Ep. 83. ad Ocean. Tom. 1.) Num arbitraris, in Epiſcopatu hoc eſſe præcipuum, quòd ſit dignitas ſuprema, quā quis pollet honore, diuitijs auctoritate, Maieſtate? Aberras. Hoc eſt in eo principale, quòd ſit virtutum omnium officina, proinde proprium

Præla-

Prælato cenſetur, omnigenis virtutum meritis adornari. Opera requirit prælatura, quocirca ſupremus ille paſtor (aſſerit D. Hieron.) quando nobis iniungit vt à Deo paſtores rogitemus, qui eius ſunt mittendi auctoritate, operarios, inquit,
Luc.10.2. poſtulate: *Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.* Operarios, non loquaculos operarios, non dormitabundos; operarios, qui manum ſanctis adhibeant operibus. Et quibus operibus? Non ea exponit ſigillatim Apoſtolus, ſed non niſi in communi: *Bonum opus.* Quia quotquot bona ſunt opera hic optimè quadrant; & prælatura hæc omnia nullo excepto, ſibi requirit neceſſaria. Vnde & illa ſpecifica (ait D.Hier.) idem Apoſtolus. Sit inquit Epiſcopus, honeſtus, caſtus, manſuetus miſericors, pius, liberalis, patiens, modeſtus, ſobrius, abſtemius, vigilans: & hac virtutum litania non contentus, vnico verbo cunctas deſcribit: *Sollicite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe* Nota verbum hoc (monet D.Hier. ex quo idem hauſit D.Gregor.) *Irreprehenſibilem* quo declarat, in Epiſcopo omnes requiri virtutes, nullum vitium, nullum defectum, ſed nec vnicum verbum otioſum, hoc namque defectus eſt, & peccatum, ob quod quis eſt reprehenſibilis. O grauiſſimum onus: *Omnes virtutes vno ſermone comprehendit, & pene rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in otioſo verbo reprehenſione dignum eſt, quis eſt ille, qui abſque peccato, id eſt ſine reprehenſione verſetur in mundo?* Cum eſſet D. Petrus, qualis erat, caput Prælatorum Spiritu S. repletus, abyſſus ſanctitatis cœlis in admiratione: paſſus eſt defectum quendã, ob quem *Reprehenſibilis erat* ait D.Paul. Quid aget miſer vermiculus homo debilis, ſpeculum inconſtantiæ, omnis expers ſpiritus, vacuus deuotione? Iterum nota ex D. Hier. quòd velit Apoſtolus, tam ſit irreprehenſibilis, vt ſit *Sine crimine:* Sic ſcribit quo declarat, adeo ſit irreprehenſibilis, vt nec ipſi habeant, quod in eo gentiles criminentur: hoc enim ſequens ſermo comprehendit: *Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt.* Ex quibus hanc infert concluſionem: *Talis ergo ſit Pontifex Chriſti, vt qui religioni detrahunt, vita eius detrahere non audeant.*

(Margin: I. Conditiones Prælato neceſſariæ. — 2.Tim.2.15.& ante. — 1.Tim.3.2 — 1.p.Paſt.c.6. — Gal.2.11. — Ad Tit.c.1 11. — 1.ad Tim. 3.5.7.)

Idem iterum ſignat Apoſtolus (notare Diu. Hieron.) illo verbo, quo præcipit Epiſcopum *Ornatum* eſſe, certoſque ridet ſui temporis Prælatos; ſed & nobis idem licet de quibuſdam noſtri ſæculi; qui hoc verbum *Ornatum* capiebãt; vt Epiſcopus veſtibus indueretur pretioſis, terſis, domum affabrè ædificatam inhabitaret, menſa gauderet geniali: *Sunt quidem ignorantes, tantæ ſtoliditatis ac vecordiæ, qui non intelligentes, quid ſit ornatus, comũt ſe veſtibus, & mũdiciis corporis, & lautioris menſæ epulas parant, cum iſtiuſmodi ornatus, & cultus ſordibus fœdior ſit.* In textu Græco legitur ἀνίτατις Id eſt *Irreprehenſibilis*, Hoc eſt Prælatum ornatum eſſe quòd perfectè cunctas poſſideat virtutes, vt ne vna numero deſit quo ſit irreprehenſibilis: *Qui vitium nõ habet, irreprehenſibilis eſt, qui virtutibus pollet, ornatus eſt.* Si vel vnum ſuperare vitium tantæ molis ſit, ſeque vel in vna exercere virtute adeo ſit homini laborioſum: quàm erit arduum omnia ſuperare crimina, tuas euincere affectiones inordinatas, refragas carnis titillationes, tuas refrœnare voluptates, aſperam & accliuem virtutis viam, imò virtutum omnium itinera perambulare? Ire per extentum funem eſt minus
operoſum. Diu. Gregorius ex alio fundamento 38
perpendit præfata verba Apoſtoli: ſcilicet quòd in primitiua Eccleſia, eo ipſo quo quis Epiſcopus conſecrabatur, ſtatim martyrio aſſciebatur. Cum enim fidei perſecutores Religionem molirentur eruere Chriſtianam; ſcirent autem Epiſcopos eiuſdem eſſe fundamenta, tantã eos perſcrutabantur diligentiã, vt cum quis eſſet in Prælatum conſecratus, illico ad necem quæreretur. Hoc omnibus peruium patet, in duodecim illis primis Eccleſiæ Paſtoribus, quos ipſe Dominus Epiſcopos deſignauit, quorum vnus crucifigitur, alter fullonis fuſte percutitur, alter lanceã tranſuerberatur, huic pellis detrahitur, illi oſſa confringuntur, hic leonibus eſca obiicitur, ille traditur ignibus, alii gladio obtruncantur; ita vt in trecentis annis, vix inuenias Epiſcopum, qui non morte occubuerit violenta, ac pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum moriens fuderit. Et eo ſenſu dicere voluit Apoſtolus: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: quia pro grege ſuo mori deſiderabat, & in eius defenſionem ſanguinem fundere: *Tunc ergo* (inquit) *laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad ſupplicia grauiora peruenire.* Deinde, quantum opinor, hinc ortum eſt, vt mitræ, velut diademata Epiſcopis imponerentur, quaſi illis hoc Apoſtoli diceretur, ex Dauidis pſalterio: *Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Mos enim apud Gẽtiles receptus erat, quando vitulos, vaccas, oues ad ſacrificia

(Margin: D.Hier. Tom.2. — D.Greg. 1.p.Paſtor. c.8. — D.Greg. — Pſ.43.23.)



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

II. Quid ſint infulæ.

deducebant celebriora, ac in feſtis ſolemnioribus, illis coronas, ac florilegia appendere, quibus inſigniores victimas adornabant; vocabantur autem *Infulæ*. Quæ erant quædam altiora diademata figura triangulari, de quibus fusè tractat noſter illuſtriſſimus Archiepiſcopus D. Antonius Auguſtinus. Hunc autem morem colligimus ex Actibus Apoſtolorum. Cum enim Lycaonicenſes ſtupenda vidiſſent miracula, quæ D. Paulus, & Barnabas operabantur, eos eſſe Deos de cœlo lapſos crediderunt, Deos appellarunt, & vt Diis ſacrificare victimas voluerunt, vnde & primus Sacerdos, nempe Iouis: *Tauros & coronas ante ianuas afferens cum populis volebat ſacrificare*. Coronas, inquam, quibus victimæ & ſacrificia coronabantur, vt eminentiſſimæ.

D. Ant. Avgvst. Dialog. 8. de numiſmatibus, & Feſtus Verbo, Infulæ.

Act. 14. 12.

Hoc ergo eſt (teſte D. Greg.) eſſe Epiſcopum, mitra coronari, paratum ſe morti, ac ſacrificio oſtendere: erant enim Epiſcopi victimæ cæteris celebriores, illoſque vt Chriſtiani gregis paſtores ad necem requirebant. Vide num magnum ſit opus; imò & modò, qui Epiſcopi ſunt tales, quales conuenit, illos eſſe credis à multiplici martyrio prorſus immunes? nequaquam: Dei vident iniurias, pauperes proſtratos, virtutem datam obliuioni, defunctos ſuffragiis defraudari, malorum gregem multiplicari, profanatas Eccleſias. Reſpublicas mille viuendi licentiis corruptas: Si verò malis mederi, obſiſtere, reparare quidpiam voluerint: Illis eſt colluctandum cum diuitibus, cum iudicibus, cum potentioribus, odium ſibi conciliant omnium, apud omnes vellicantur nihil tam blandè, nihil tam ſimpliciter, nihil tam circumſpectè agere ſeu dicere poſſunt, quod maleuoli non rapiant in calumniam. Num hoc tibi opus cenſetur eſſe laborioſum? O Apoſtoli, num quæritis dignitates? *Neſcitis quid petatis*; hoc ſcitote, quòd qui illas venatur, calicem amariſſimum, pœniſque repletum omnigenis aucupatur. Addo, calix eſt amariſſimus (ait Diu. Hieronym.) & vt talis fugienda eſt dignitas ſeu prælatura, ob notiſſimum periculum, cui ſeſe ingerunt incauti, earumdem candidati, nempe, reddendi tantarum animarum rationem non mediocrē, quantas ſuſcepierunt dirigendas; hoc enim eſt eſſe paſtorem, & ad hoc ſe conſtringit, qui paſtor eſt ouium, & ad hoc quoque qui paſtores eliguntur animarum: *Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Ita vt earum oporteat eum reddere ſtrictam rationem, quas vorax lupus abſtulerit deuorandas: *Sanguinem eius de manu tua requiram*, ſic Dominus Ezechieli minabatur. Si vulpes illius aſtuti hiſtrionis decepit, & abſtulerit ſimplicem ouiculam: Si leo rugiens pauperem deuorauerit: ſi furibundus equus viduæ deiecerit pudicitiam: Si hic doctrinam non nouerit Chriſtianam, ſi ille tempore Paſchalis non fuerit confeſſus, ſi alter ad ſacram non acceſſerit communionem. ſi alter ſacro non interfuerit, ſi hic non confeſſus obierit, ſi alter in vitiis inſorduerit, ſi talis vſuris vixerit pauperum ſanguiſuga.

In ca. 44. Ezech in illud: Victimam pro delicto.

Hebr. 13. 17.

Ezech. 18.

Audiamus D. Bernar. *Quid ego infelix, quo me vertam ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius iudicauit, contigerit negligentius cuſtodire? Si ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo quod & portare ſæpius oporteret, quid animi habiturus eſſem, in diſcrimine tanto? Et certe id ſeruandum accepi, pro quo mercator non inſipiens, ipſa vtique ſapientia, ſanguinem illum dedit. Sed & habeo theſaurũ iſtum in vaſis fictibus, quibus & multo plura, quam vitreis imminere pericula videantur &c.* Optimè dicit D. Paulus *Inuigilant*, millenis indigent oculis plus quàm Argus. Hoc quoque ſuo inculcat diſcipulo Timotheo, quem Epiſcopum vnxerat: *Tu vero vigila, in omnibus labora.* Illud *In omnibus* intelligit D. Thom. *In omnibus hominibus*. Magna te decet vigilantia, nam in omnibus tibi ſubditis eſt laborandum. In Eccleſiaſtis in ſæcularibus, in parentibus, in filiis in maritis, in vxoribus. Bone Deus! Si centum oculos Argo dederint, vt bouem vel vnum ſeruaret qui tamen furto ſublatus ſit quid Prælato faciendum, quomodo vigilandum, qui non niſi binos habet oculos, & millenas ſuſcepit oues cuſtodiendas?

D. Bern. Serm. ad paſt.

2. Tim. 4. 5.

Notat Eccleſiaſticus, quod communiter contingit parentibus, vnicam ſufficere filiam, vt omnem illis excutiat ſomnum, continuis cruciet curis anxia conturbet ſollicitudine: Quoties tibi fugit ſomnus ab oculis: Hæc mea filia nubilis apta vinculo coniugali, ei de præcipuis bonis meis in dotem prouidendum. Cui dabo eam in vxorem? Num maritum acceptura lunaticum & qui malè patiatur, qui filiæ dotem dilapidet, qui ſuis eam diſſolutionibus affligat acerbis? Num tempus matrimonij prætereuolet? Num aliquis eam à me flagitet, ſed non ex animi mei ſententia; num ipſa ſui obliuiſcatur num faciem intuentibus offerat corridentem? Num eam aliquis ad inhoneſta ſollicitet efficaciter?

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tacitet? Num de nocte diſcedat ad oſtium ſeu feneſtram proco locutura? Num aliqua eum ſeducat ſubdola mediatrix? Num ancillam habeã, quæ mihi in eius cuſtodia ſit infidelis? Num aliquod ei ſuccedat infortunium in mei nominis ignominiam? [Eccli. c.42.9.] *Filia patris* (inquit) *abſcondita eſt vigilia, & ſollicitudo eius aufert ſomnum, ne forte in adoleſcentia ſua adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat, ne quando polluatur in virginitate ſua, & in paternis ſuis ædibus grauida inueniatur, ne forte cum viro commorata transgrediatur, aut certe ſterilis efficiatur.* Si vnica filia parenti ſomnum aufert, & continuis vigilẽ premit anguſtiis: quid de tot dicemus filiabus, quot ſuſcepit Prælatus animas dirigendas, quæ tot exponuntur periculis, tantos qui eas ad malum protrahunt patiuntur? Secum habent famulam carnem, quæ eam ad ſuam allicit perditionem, & dæmonis ac mundi eſt indefeſſa mediatrix; & ipſe omnium inuigilare debet defenſioni ac conſeruationi: *In omnibus labora.* Hoc dat ſuo diſcipulo conſilium Apoſtolus Timotheo: Dein in ſeipſo peractum, proponit & ipſis Philippenſibus imitandum: [Philip. 3.17.] *Imitatores mei eſtote, & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Quibus loquitur? Quos ad ſui monet imitationem? Oues ſuas omnes, plurimos homines variorum ſtatuum, omnes hortatur vt paſtorem imitentur: eſt enim eis omnibus & ſingulis virtutum exemplar. O veram Prælati definitionem, exemplar omnibus, quod quadrat ei quod ait D. Petrus: [1.Pet. 5.v.3.] *Forma facti gregis.* vt in ipſo videat afflictus patientiam, omnis appetitus tolerantiam Dominus humilitatem, obedientiam ſubditus, charitatem in pauperes diues, ſuſtinentiã pauper, Sacerdos deuotionem, religioſus ſolitudinem, Eccleſiaſticus honeſtatem.

Hinc tam grauiter per ſuum dilectum diſcipulum Ioannem Dominus excipiebat Epiſcopũ Sardicenſem? *Eſto vigilans &c. non enim inuenio opera tua plena.* [Apoc. 3.] Hoc tui eſt muneris: *Eſto vigilans.* Hac eo quod de te iuſtè conqueratur: *Non enim inuenio opera tua plena.* Quæ ſunt illa: *Opera plena?* [II. Vigilantia decet prælatos.] Meo iudicio ſumitur à pictura metaphora. Pictores video, qui effingunt imaginem ex arte perfectam: ac eius oculus ad hanc tantum, vel illam partem deflectitur, ita vt dicere liceat, non eſt oculus plenus, qui tam perfectè cernat omnes, vt quiſque dixerit, quòd illum ſolummodo cernere videatur ab hac, & ab illa parte, ille verò cenſeat quòd ſe tantum intueatur, hic verò ex oppoſita parte, idem de ſe ferat iudicium. O Paſtorem, imago es expoſita, vt apertis pleniſque oculis omnia videas: *Eſto vigilans.* Quoſdã ſcio, qui claris, ac perſpicacibus vigent, oculis, ſed limis ex vna tantum parte: videt namque illum honeſtum Eccleſiaſticus, Solitarium ſacerdos, ad pauperem autem non aſpiciunt eius oculi, nec ad tribulationibus ſuſpirantem, vt illi occurrat, & ſuccurrat opitulator. Alij oculos quidem habent, quibus inopem videant, at non potentem, vt eum doceant humilitatem. Oculos in omnes te habere expedit, vt omnes habeant quod in te videant imitandum. Non ſufficiat Prælato, virtutum operibus cæteris præfulgere, iiſque imperfectis, ſed ſint eius virtutũ opera plena, abſoluta. Primum in perfectione vt ſit fides eius conſtantiſſima, ſit charitatis ardentiſſima, ſint eleemoſynæ liberales, ſit inuicta patientia: huius enim defectum reprehendit Dominus in Epheſiorum Epiſcopo: *Habeo aduerſum te quod charitatem tuam primam reliquiſti.* [Apoc. 2.4.] Charitatem vocat primam, more S. Scripturæ, id eſt feruentiorem, eminentiorem, diligentiorem. Metaphora ſumitur ex arborum fructibus. Ficus & mala punica quædam ſunt primi floris, alia ſecundi, ſed hoc intereſt, quod fructus primi floris, multò ſint eminentiores, ac perfectiores, vt effectus naturæ fortioris in principio. Fructus verò ſecundi ſeu floris poſterioris, ficus quidem ſunt, mala granata ſunt, ſed non tam pulchra, ſolida, matura, ac perfecta, vt priora. Idem fero iudicium quoad opera virtutum: quædam namque ſunt priora, magno facta feruore, mente ardentiori, corde perfectiori. Sunt & alia, quæ fiunt at tepidè, languenter, negligenter: Oratio tepida, realiter oratio eſt, at immatura, languida: eleemoſyna inuoluntaria, precibus extorta, eleemoſyna eſt, ſed decidua vermiculoſa. Charitatem primam, opera plena requirit ab Epiſcopo, quæ cæteris palmam eripiant, eo quod magno fiant feruore, mente ſyncera, deuotione pia, corde pleno atque perfecto. Hoc D. Greg. Nazi. [D.Gre. Nazi. In vit. S.Baſi. ad med.] laudibus extollit in vero illo Epiſcopo D. Baſil: *Exiſtimabat homines quidem communes, vt idiotas ſatis ad virtutem habere, ſi non improbi eſſent, vel mediocriter boni, at ſiquis in dignitate, & adminiſtratione fuerit præſertim in Præſulis officio, vitium omnino putauit, ſi non omnes alios virtute antecelleret, parẽq; dignitati ſuæ ac throno virtutem afferat.* Non curſim hæc verba tranſeamus: *Et vitium omnino putauit.* Quaſi vitium in Epiſcopo reprehenderet tepidam charitatem, languidam, arentem pietatem, opera virtutum vermiculoſa, non plena, non abſoluta. Secundò verò vocat: *Opera plena*, quæ omnibus ſatisfaciunt,

ciunt, quando talia ſunt, vt omnes in illis ſumãt exemplum eorum, quæ ſibi incumbunt facienda & illa in Epiſcopis ab omnibus expetuntur, vt poſſit dicere: *Omnibus omnia factus ſum.* Non ineptè modo preponitur, quod alias diximus de veſtitu ſummi Sacerdotis, Deum præcipiſſe vt eius tunica eſſet oculata; eorum quæ diximus aptiſſimum hyeroglyphicum. Hinc (teſte D. Hieronym.) toties idem repetit Apoſtolus epitethum vocans Prælatum vigilantem; notat quoque, quod in noſtra vulgata lectione legimus *Sobrium* in græco ſcribi νηφάλιον: quod nedum ſignificat ſobrium ſed & vigilantem: quia vigilia ex magna naſcitur abſtinentia. Non conuenit Epiſcopo cœnam ſumere, vt poſſit dormire, ſed cœnam omittere, vt tota poſſit nocte vigilare, & virga eſſe vigilans, qualem Dominus oſtendit Hieremiæ.

*Epi. 15. ad Ocea.*

☞ 40 Quia verò dicere poſſes, ad hæc munera ſubeunda idoneum ſubſtituam miniſtrũ: ſubiungit Apoſtolus: *Miniſterium tuum imple.* Tu ipſe tui muneris ſatisfac obligationibus. Te, cui cathedra paratur vt in ipſa ſedeas locũ per te implere oportet, non per ſubſidiarios: Licet enim iuſtum ſit ac neceſſariũ, vt ſibi ſubſidio ſumat Prælatus alios miniſtros ſecundarios, qui curarum ac vigiliarum partem ſuſcipiant: attamen qui principaliter interuenire debet, hunc eſſe dicimus ipſum Prælatum: Quo primò eius abſentia condemnatur, præſentia ac reſidentia mãdatur in ſua Dioceſi, & Paſtori in ſua parochia, vt præclarè declarat, ac præcipit Concilium Tridentinum. Secundo: reprehenditur Prælatus ac Curatus, qui licet in parochia reſideat, ſui tamen muneris officia miniſtris imponit facienda, ipſe omnibus ſolutus ac liber: *Miniſterium tuum imple.* Ad quid te Prælatum elegerunt? In quem finem tibi commendarunt Paſtoratum? vt ipſe cunctis adſit officiis ſubſtitutus, tu in vtramque dormias aurem? *O Paſtor & idolum,* ita Deus ſocordem indigitat Prælatum, qui nihil magis, quàm idolum lapideum, operatur. Idolum ad hoc tantum erigebatur, vt munera, victimas, ſacrificia, incenſum, adorationes ſuſciperet, non verò vt aliquid ageret, manus operibus admoueret, audiret, videret, ambularet, &c. Ad hoc expediret illum potius paſtorem creare, quem tibi conducis ſubſtitutum: non enim hoc de iure communi cathedra permittit Epiſcopalis.

*2. Tim. 4. 5.*

*IV. Prælatus per ſe principaliter munus ſuum exequatur.*

*Zachar. c. 11. 17.*

Diſcreta fuit pariter & mirabilis illa reſolutio ſumpta quoad regimen Galliæ. Gallis imperabat Rex Childericus tertius, cuius fit mentio in Decreto. Deliciis, otio, ſomno, voluptatibus totus vacabat, & ad regni ſui moderationem opera vtebatur familiaris ac nobiliſſimi viri Pipini, hic omnium calculo regni laudabiliter habenas moderabatur. Porro ſicut ſubditis arridet, vt ipſi Reges gubernent, ipſi per ſe negotia grauiora Reges exequantur, non exiguas de rege Childerico ſpargebant querimonias, Conuenientes regni primates, proponunt in concilio: nobis Rex imperet, & non niſi vnicus ſit, qui Rex ſit, & cum hoc ſit expediens, cumque vnus ſit Pipinus, qui nos regit; ipſe rex coronetur: quieſcat, epuletur, bibat pro vt ſibi libuerit Childericus. Hæc ipſi Childerico propoſuerunt, ille verò negotium commiſit decidendum Summo Pontifici Zachariæ in hunc finem, miſerunt regni proceres legatos ſuos, ac tam vrgentes obtulerunt Summo Pontifici rationes, vt ille Childericum tanquam regni gubernaculo, clauoque minus vtilem condemnans, Francos totumque regnum à præſtito abſoluerit iuramento: dein decreuit, cum Pipinus imperaret, in eoque conuenientes laudarentur conditiones, vero titulo regis gauderet, & ſicut illi Childericus regni gubernacula dediſſet, daret pariter & thronum. Ad huius negotij executionem nominauit Pontifex Archiepiſcopum Moguntinum, vt Pipinum & nominaret, & proclamaret ac Regem Galliæ coronaret: & conuocatis regni totius Ordinibus, nominatur, proclamatur ac coronatur Pipinus Rex Galliæ: Viuat Rex: Childericum verò in monaſterium amandarunt. Hic bene ſit tibi: cum tu ille non ſis qui regni thronum imples, excede, deſcende, alius eum occupet, qui throno reſidens, ipſe per ſe ſuum impleat officium. Actus planè ſingularis, quo cœpit Pontificis poteſtas tam heroicâ ac præclara actione exerceri, ſcilicet Regis depoſitione ac exautoriſatione, ac alterius ſubrogatione in quibuſdam caſibus particularibus. Si hæc in ſtatu contingant ſæculari, qui terrenorum tantum ſpectat regimen, & Regis ſollicitudinem quoad ſubditos in temporalibus; quòd ipſe ſcilicet vigilare, noctes inſomnes ducere, laborare, rebus neceſſariis intendere, ſaluti ſubditorum proſpicere teneatur: quid de ſtatu dicemus Eccleſiaſtico, cuius regimen ad æterna ac cœleſtia ordinatur, in quo non corpora, ſed animæ curantur: quæ quantò ſunt corporibus eminentiores, tantò earum in Prælato Eccleſiaſtico, quàm in ſæculari debet eſſe cura vigilantior?

Hinc

D.Hier. Iezech. 44. Ezech. Tom. 4. Hinc in viris Sanctiſſimis timor ille nõ reiiciendus: *Grandis dignitas Sacerdotium* (Audo D. Hieronym. loquentem) *Sed grandis ruina eorum, ſi peccant: Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus, ad lapſum. Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de excelſis corruiſſe.* Video lachrimantem D. Auguſt. ſuæ tempore conſecrationis, dum perpendit ſe onus in humeros, cum dignitate ſuſcipere ipſis angelis pertimendum: *Tanquam periculoſiſſimum iudicarem hoc miniſterium, & hinc erant lachrimæ illæ, quas me effundere in ciuitate, ordinationis meæ tẽpore, nonnulli fratres animaduerterunt, & neſcientes cauſas doloris mei, quibus potuerunt ſermonibus, qui omnino ad vulnus meum non pertinebant, tamen bono animo conſolati ſunt.* Et infra: *Nihil eſt in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laborioſius, & periculoſius Epiſcopi, aut presbyteri officio; ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militatur, quo noſter Imperator iubet.* Miror fugientem D. Gregori. ne Pontifex adoretur. Expaueſco diuerticula D. Ambroſij, ne reſideat Epiſcopus. Latebras quærit D. Greg. Naz ianzenus, & omnem mouet lapidem, ipſo teſte, ne honore ſublimetur Epiſcopali. Quid dicam de timore S. Nilamonis cuius feſta 6. Februarij recolimus: de quo referuntur Sozomenus & Nicephorus. Geris vrbe Ægypti moratus, eligitur in Epiſcopum; quod cum diuina reuelatione ſuo recluſus cubiculo reſciuiſſet, Deum tanta inſtantiâ, tantis lachrimis, tot ſingultibus eſt deprecatus vt ſe tantis eriperet periculis, & potius vitam cum morte commutaret: & orantem exaudiuit Dominus: dum enim populus concurrit, vt eum Epiſcopum conſecraret, reperit mortuum, quem ad ſepulchrum extulit non conſecratum.

D. Auguſt. Epiſt. 148. ad Valeri. Epiſcop.

Lib. 1. c. 19. Lib. 9. c. 17.

Percipio ſtomachabundum D. Gregorium iam Pontificem, dum ei omni ex parte fauſta acclamant; nominatim vero quatuor Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Hieroſolymitanus, ac Antiochenus, dum ei de Pontificatu congratulantur, quibus ſic reſcribit. *Mihi ne de Pontificatu ſcribitis læuum proficiat?* Scribite triſte pœnitet, & mecum lachrimas fundite. An non intelligitis vt meo ſatisfaciam muneri, quod dicere Deo debeam ac poſſim illud Iacobi ad Laban ſocerum ſuum: *Viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi. Ego damnum omne reddebam. Quidquid furto perierat, à me exigebas, die noctuque æſtu vrgebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis. Si igitur ſic laborat & vigilat, qui paſcit oues Laban, quanto labore, quantis vigiliis debet intendere, qui paſcit oues Dei? Date mihi pœnitere:* ait D. Greg. Eadem phraſi reſpondit Patriarchæ Anaſtaſio, qui ei de Pontificatu congratulabatur, aitque; *hoc eſt me ſecundum carnem tantùm diligere, ſed non ſecundum ſpiritum.*

Eſt Epi. 24 l. 1. Epiſt. & lib. 7. Epi. 47. indict. 2 Gn. 31. 38.

Idem reſpondit Anaſtaſio Archiepiſcopo Corinthiorum, & magis adhuc particulariter eadem occaſione ſcripſit Theotiſtæ illuſtriſſimæ Dominæ ſorori Imperatoris, largiter fletus crebra dans ſuſpiria, ob grauiſſimum onus Pontificatus, & argumentis luculentiſſimis oſtendit, qua ratione, quàm iuſtè, ſe in hoc ſtatu iudicet non felicem, ſed prorſus, infelicem ac lachrimis deplorandum. Primum, inquit, ea dignitate, meam perdo quietem, ac mentis tranquillitatem & illas quibus fruebar delitias in angulo cubiculi ſolitarius, iam mihi incumbit curis viuere perpetuis æſtuantem, quæ velut ſpinæ acutiſſimæ cor meum lancinant inceſſanter, nouiſque cruentant vulneribus: *Alta quietis meæ gaudia perdidi, ac intus corruens, aſcendiſſe exterius videor.* Arbitrantur homines, me ad altiora aſcendiſſe, ſed vero verius in abyſſum corrui, quam nequeam perruadere. Cœleſtes narrat delicias quibus in monaſterio ab omnibus liber fruebatur, contemplationem altiſſimam, quâ quaſi in cæleſti gloria demulcebatur, vt in ſe hoc iam impletum eſſe ſibi gratularetur: *Suſtollam te ſuper altitudines terræ:* recenſet quoque perturbationes, quibus ex dignitate Pontificia torqueri iam cœperat, anxias ſollicitudines, quibus eius anima cruciabatur, & ſe immerſum ingemiſcebat: *Sed repentè à rerum vertice tentationes huius turbine* (demirare quo nomine ſignet Pontificatum: *Turbine tentationis.*) *Impulſus ad timores pauoreſque corrui: quia &, ſi mihi nihil timeo, eis tamen, qui mihi commiſſi ſunt, multum formido. Vndique cauſarum fluctibus quatior, ac tempeſtatibus premor, vt dicam rectè. Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me.*

41 L. 1. Epiſt. 25. ad Anaſtaſ. Patriarch. Ep. 25.

D. Greg.

Iſa. 58. 14

D. Greg. Pſal. 68. v. 11.

Accuratè perpendit, quomodo dum ſe vult dedere orationi, vt ſolebat non poſſit: omnium enim ſtatuum ſollicitudo, ipſum in hac orationis quiete perturbabat. Dein adductis pulcherrimis rationibus adiungit, timere ſe, ne de numero ſit eorũ, de quibus cecinit Dauid: *Deiecisti eos dum alleuarentur. Preſſus bono e hoc ſecularium negotiorum ex eis me eſſe video, de quibus ſcriptũ eſt. Deiecisti eos dum alleuarentur:* Neque

Pſal. 72. 18.

enim

*enim dixit: deiecisti eos poſtquam alleuati ſunt, ſed dum alleuarentur: quia praui quique, dum temporali honore ſuffulti foris videntur ſurgere, intus cadunt. Alleuatio ergo, ipſa ruina eſt.*

His cõformiter declarat qualiter qui ad dignitates ſupremas attolluntur, ſint velut rotæ, quæ ſi ex vna parte per honores, & temporalia bona videantur aſcendere, ex alia tamen quo ad bona, & virtutes animæ, ſeu quo ad eiuſdẽ tranquillitatem quam amittunt profundiùs demerguntur. Et quaſi maledictum illis hoc Dauid

*Pſal.* 82. *v.* 14. imprecatur: *Deus meus pone illos vt rotam.* Idem argumentum proſequitur in illa Epiſtola reſ-

*l.* 1. *Ep.* 7. *ad Marſi. Patritiã.* cribens Narſio Patriarchæ Romano: qui per litteras fuerat ei congratulatus, diuerſis, iiſque magnificis eum titulis compellans, tali dignis

*Ruth.* 1. 20. prælaturæ: cui inter alia dicit illud. Noëmi: *Ne vocetis me Noemi. Noemi id eſt pulchram: ſed vocate me Mara: id eſt amarum: quia amaritudine valde repleuit me.* Licet autem multas aſſignet doloris ſui, curæ ac timoris rationes, magis tamen principalem fundat in axiomate quodam Spiritus S. qui admirabili ducta metaphora, agit de ſtultis, qui tali oblata occaſione cum gaudio & cordis applauſu accipiunt congratulatio-

*Prou.* 17. 18. nem: *Stultus homo plaudet manibus, cum ſpoponderit pro amico ſuo.* Siquis opulentus in medium proſiliret forum, plauderetque præ gaudio manibus, omnibus acclamans: Congratulamini mihi omnes, & congaudete mecum: ſpopondi nãque pro omnibus huius ciuitatis mercatoribus; cunctas quoque naues in meam recepi fidem, quæ Oceanum noſtrum peruolant: eo quod mihi quinque pro centum dederint: magnum inde mihi emolumentum. O te ſtultum: an noſti quid ſit ſe vadem offerre pro mercatoribus? Nũ maris pericula, charibdes, ſchyllas, tempeſtates, pyratas noſti, & quod ictu oculi nauis oneraria ditiſſima, celerrima, turbinibus ad ima demergatur numquam ſurrectura? Quid tibi per vades officium eſſe Prælati ſeu Epiſcopi? Vadem ſe ſtatuit, & pro tot nauibus fideiuſſor et quod ſibi ſuſcipit gubernandas animas, pro illis reddet rationem compromiſſor. Hic pro decem millibus, ille pro viginti millibus, alter pro centum millibus cẽſuum annuorum. O quàm hilaris tripudias, quàm lętus plaudis manibus quàm tibi congratularis. Quis te nouus (precor) alligat error? qui non aduertas, quot illæ naues periculis exponantur, quot millia earum fluctibus abſorbeantur & pereant, & de ſingulis ſtrictiſſimam redditurus ſis rationem.

Mea quidem ſententia hoc Dominus indicauit quibuſdam præceptis legis veteris iudicialibus: Præſcriptis enim moralibus transgreditur ad iudicialia: erant autem leges, quibus pro bono Reipublicæ regimine iuſtitia adminiſtrabatur: *Si quis commendauerit amico pecuniam aut vas in cuſtodiam, & ab eo qui ſuſceperat, furto ablata fuerint; ſi inuenitur fur, duplum reddet. Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit, quod non extenderit manum in rem proximi ſui.* Subiungit & aliam legem: *Si quis commendauerit proximo ſuo aſinum, bouem, ouem & omne iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit,* &c. *quod ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnũ domino.* Obiicit hic noſter Cardinalis Caieta. in harum legum iuſtificationem. Deus Sapientiſſime, quod eſt hoc ius, præcipere, vt ille qui in ſuam accepit cuſtodiam pecuniam, gemmas, aut vaſa pretioſa, non ſit ad damni obſtrictus reparationem, ſed ſufficiat, ſi iuret huius furti ſeu damni eſſe ſe prorſus ignorantem; & innoxius abſoluitur? Qui verò in ſuam cuſtodiam receperit bouem, ouem &c. ad damni reparationem obligetur? Num fortè pluris valet bos ouis &c. quàm vas pretioſum? Iumentum quàm burſa mille ducatorum? Cœleſte eſt hoc ſtatutum, reſpondet Caietanus: quia inter vnum & alterum plurimum intereſt: Qui tibi ſaccum commendat pecuniarum aut argenti laminas, iam nouerat, quòd eas domi tuæ diligens cuſtodires, aut arcæ tuæ includeres, nouerat quoque domus tua quàm eſſet ſecura, oſtia oppilata, feneſtræ cubiculorum obſtructæ, quod tibi quoque nihil aliud foret agendum, quàm pecuniam hanc ſeu vaſa ciſtis tuis ac cubiculis includere, & feris obfirmare; quocirca hæc nulli commendas niſi de cuius tibi conſtat ædibus fortiſſimis, obfirmatis oſtiis, cubiculiſque tutiſſimis. Attamen qui tibi bouem, ouem aut iumentum tradit in cuſtodiam, illa ciſtis non includit ſeruanda, nec cubiculis incarcerat, ſed tuæ fidei ex diligentiæ, proinde quidquid perierit, ſeu defuerit, de tua minimè præſumitur diligentia, quòd debitam non adhibueris ſolicitudinẽ ad id, quòd tibi commẽdatum erat conſeruandum. Huic expoſitioni certè ſubtiliori, ſuper addo D. Rabanum Maurum quem ſequitur Piporran. quòd hæc Deus non ſine grauiori cauſa decreuerit: qui ad res adeo viles mentem ſuam aliis non inclinaret, niſi his vellet declarare ſuperioribus, quorum cuſtodiæ ac regimini eius commendantur oues, qua diligentia eas ne pereant, ne furto auferantur cuſtodire teneantur: ſi enim ſeduli inuigilent, ne pereant, ne ſibi rapiantur pecuniæ, tapetes,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

petes, aurea ſeu argentea vaſa, ſcyphos, pelues, cyathos prælibatorios &c. quanto maiori ſtudio laborare illis conuenit ne pereat, ne rapiatur grex Domini: illorum enim cuſtodia ab arcis, ſcriniis ciſtiſque dependet: huius verò ab eius diligentia, vt gregis cuſtodia à ſolius Paſtoris pendet peruigili ſolicitudine: ſi verò quid eorū pereat, nulla in eius exonerationem datur excuſatio illi hoc imputat, illi adſcribit dominus, prout inſignis ille ac vigilans paſtor Iacob fatebatur qui in fidem ſuam ſoceri ſui Labani ſuſceperat & greges, & armenta cuſtodienda. His minus nihil exiget Deus, ſi vel vna depereat ouicula, vel bos aut iumentum diripiatur: ſingulari quippe conſilio, (teſte D. Rabano) diſtinxit diuina lex hæc omnia animalia, vt varias explicet conditiones inferiorum, quos ſuæ curæ ſuperiores habent commendatos, diuerſa velut bonorum genera: *Hoc eſt, alios ingenio valentes*
Rab. *alios ſimplices, & innocentes, alios hebetes, & brutos.*

☞ 42 His ſuffragatur D. Gregor. alia ſacri eloquij
3.p.Paſto. verba perpendens, quæ idem inuoluunt, & ea
c.1. adm instituto noſtro conuenienter exponit D. Tho.
5.lec.13. *Fili mi, ſi ſponderis pro amico tuo defixiſti apud*
Ep. ad *extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis*
Heb. lect. *oris tui, & captus propriis ſermonibus.* Fili mi,
3.Pro.6.1. noſti quid agas dum pro amico tuo te debitorem fideique iuſſorem conſtituis? Aduerte, & hoc tibi firmiter perſuade quòd apud alienos manus tuas defixeris, quibus te debitorem obſtrinxiſti, verbiſque ac promiſſis propriis teipſum in laqueos inieciſti. Quid eſt, obſecro, apud extraneum pro amico ſuo ſpondere? Reſpondet D. Gregorius, in tui fidem curamque ſuſcipere animam proximi tui, ac Deo iurare, quòd de ea ſis exactam redditurus rationem. An ergo Deus alienus? Alienus eſt, annuit D. Gregorius qui licet ſit pater tuus, Dominus tuus, Redemptor tuus, tuus intimus amicus: attamen in repetenda ratione, hoc velim noueris, quòd eam à te tanta exiget ſeueritate, quaſi non amicus, ſed maximè tibi foret extraneus, qui nec te cognoſcat, nec niſi de ſuis curam gerat opibus, quas in te recepiſti cuſtodiendas. Idcirco credito, quo te tempore obſtrinxiſti, eo manum tuam defixiſti, vt illarum opum curam geras diligentiſſimá. Perſcrutare loquendi formulam: *Defixiſti manum tuam.* Significat ait D. Greg. tibi perſuade, quòd defixeris, ac obligaueris opera tua, tuos ait modos procedendi ſeu negotia, tuas curas, tuas diligentias vt hæc omnia in eius expendas & impendas beneficiū, pro quo ſpopondiſti: *Manus defigitur* (explicat
D. Gregor.) *quia apud curam ſolicitudinis, quæ* D.Gre.
*ante deerat, manus ligatur.* Qui tanto igitur ſe vinculo conſtrinxit, quid illi incumbit faciendum? Hoc ſermo diuinus declarat: *Fac ergo, quod dico fili mi, & temetipſum libera: quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebre tuæ.* An non ſatis diceret: eſto ſollicitus & inuigila, vt cuſtodias ſaluum quod in te recepiſti? Nequaquam: inſinuat enim quòd illius curā agere, eſt tui curā agere: quia quidquid de illo perierit, tibi peribit, & tantum tu perdes, vt te à teipſum creditor, cui te vadem obligaſti, ſit perditurus. Hoc ſuppoſito: *Diſcurre, feſtina*, ne dormias, nec oculis mictes, nec momento temporis ſedens conquieſcas. Elaboratè perpendit hæc verba D. Gregor.

Videtur hoc velle Deus; cum ille, qui ſedem aſcendit Prælaturæ, eius obtineat locum, eius etiam habeat conditiones tales quales deſcribit
David: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui* Pſ. 120.4
*cuſtodit Iſrael.* Non dormiet ex induſtria, nec dormitabit ſomnolentus: quia tantillo quo dormiuit Argus tempore, furto bouem rapuerunt, quem poſtmodum tam rigoroſè ab illo domini repetierunt, vt eum ſeuerius condemnarint: *Feſtina diſcurre, ſuſcita amicum tuum.* Curre velociter vt pauperi ſuccurras viduæ, feſtina, vt pupillo adſis auxiliator: ſuſcita eum qui ſtertit in peccatis obduratus, tu ne ad ictum oculi dormites. Agedum, num detur ad ſedendum otioſo, dignitas prælaturæ? O quàm diſtricta obli-
gatio, quam trutinans D. Chryſoſto. aſſerebat ſe D.Chr.
non ſatis poſſe demirari, ad Prælaturas ſeu E- Ho.34. in
piſcopatus anhelantes: *Audiant ij qui regunt,* Epiſt. ad
*magiſtratus &c. quantum eſt periculum omnium* Heb.T. 4.
*quos regis, mulierum, virorum, & puerorum tibi reddenda eſt ratio. Tanto igni caput ſubiicis. Miror an fieri poſſit, vt aliquis ex Rectoribus fiat ſaluus.* Formidabilem ſententiam! *Miror an fieri poſſit, vt aliquis ex rectoribus ſaluus fiat* Antiquos illos (ait S.) rememorare patres ac Prælatos, quorum familiare erat nomen ſerui vigiles: quaſi ipſi
noſſent dictum Apoſtoli: *Obedite præpoſitis ve-* Hebr. 13.
*ſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi* 17.
*rationem pro animabus veſtris reddituri.* Excitati erant, anxij, ſollicit, diligentes, vt ille, qui pro pluribus mercibus ſe cōſtrinxit debitorem: quæ extremis laborant periculis, de quo ſacra pagi-
na: *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo.* Prou. xxi
Quàm anxius viuit, qui periculū nauis ac mer- 15.
ciū in ſe ſuſcepit; timet tempeſtates, piratas, ſcopulos,

pulos, turbines, ne ſubmergatur. Vtinam prout id quod in prælatura bonū videtur conſideratis, ſic & eiuſdem labores ac pericula ob oculos vobis ponere is: O *Vtinam* (exclamat Bernard.) *tam vigiles reperirentur ad chorum, quam alac es currunt ad cathedram.* Hinc D. Cyprian. hanc eduxit propoſitionem; *Sicut peremptoria eſt altitudo quæſita, ita periculoſiſſima eſt oblata.* Hæc vox *Peremptoria* deriuatur à *Perimere*, mortem quærit, qui quærit dignitates, eaſque prætendit, ſed & periculoſiſſimum eſt, eam oblatam, nec prætenſam acceptare. De his eleganter diſputat, ipſe qui in omnibus rem penetrauit, noſter Angelicus Doctor D. Tho. Perpende quid de prætenſis ſit iudicandum.

D. Bern. Serm. 77. ſup. Cant.
D. Cyp. Lib. de ieiun. & tenta. Chriſti.
Opuſ. de erud. prin. l. 1. cap. 1.

§. 22. Poſſumus. *Dignitatis amore tument qui reſpondent* Poſſumus : *mendaces filij hominum in ſtateris; ſimiles elephanti.*

☞ 43 P*Oteſtis bibere calicem &c.* Reſpondent: *Poſſumus*: proprium reſponſum ambitioſis. Potes tu, qui Epiſcopatum ambis huic ſatisfacere obligationi? Præſumis tu ſtrictam reddere harum omnium rationem? Potes tu, qui iudicaturam prætendis tui implere celſitudinem tribunalis? Tibine aſcribis videre proceſſum (*a*) tuum atundiorem ſuſiſſimum? Potes tu, qui regimen concupiſcis ciuitatis, tota nocte obire mœnia peruigil? Eſt ne tibi animus teipſum opponere diſſoluto, ac immorigero? Et ſuper omnia, planè perſuades ac fidis te ſtrictam poſſe dare tuarum omnium obligationum rationem in ſeueriſſimo Dei tribunali? *Poſſumus*. O Sanctiſſimi Apoſtoli, negare nemo poteſt, vident omnes, nondum vos vberiori S. Spiritus luce promotos eſſe ad perfectiora, heu quam ignoratis (deflet D. Chryſoſtom.) quanti ſit ponderis, quantæ amaritudinis calix iſte Saluatoris: cuius nec vultum quidem vidiſtis, nec prima eſtis aſſecuti veſtigia, vobiſq; illud meritò poſſet exprobrari: *Dulce bellum inexpertis.* Eſt calix iſte tam horrendus, adeo expaueſcendus, vt illum ipſum, qui ipſa cœlorum erat fortitudo, ad primum eius intuitum, & ſolo odore quo cum Angelus naribus obtulit Redemptoris ebibendum ad terram proſtrauerit; vt ſudore totus immaduerit ſanguineo! & vos audacter dicitis: *Poſſumus*? Optimè vobis Saluator exprobrauit, vt veſtram inuerecundam confunderet præſumptionem (ait D. Hieronym.) quando hora iam imminente, quo calix

(*a*) De tres vatas.
Ho. 35. in Imperfec.

ille biberetur, vos aduocauit, vt vel vnicâ horâ ſibi comites adeſſetis latrones ac vigiles oratores, quod nec potuiſtis: *Sic, non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vna hora vigilare non poſſunt ſomno, mærore & carnis fragilitate ſuperati.* Quid hoc eſt dicere: *Poſſumus bibere calicem, & non potuiſtis*, nec vna quidem horâ vigilare mecum.

D.Hi… Luc… Tau… Mat… 40.

Non queo ſatis mirari quàm eleganter D. Baſil. Exponat illa pſalmiſtæ verba: *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Legit D. Baſil. cum Theodotione: *Vapor*. Exigunt ſe in altum homines vt vapor tenuiſſimus, ſine vlla ſubſiſtentia. Exſurgunt iſti vapores in altū cerebri tui quòd aſcendere poſſis cathedram Epiſcopalem, Archiepiſcopalem, quid ni & Papalem, quòd fieri aut eligi poſſis in iudicem tam in ciuilibus, quàm criminalibus, imò & in gubernatorem: attamen vani ſunt: quia nullo nixi fundamento. Vbi eſt ſcientia? Vbi virtus? Vbi zelus & fortitudo? Vbi orationis ac deuotionis eminentia? O vanas cogitationes! *Dominus ſcit cogitationes hominum: quoniam vanæ ſunt.* At vnde enaſcuntur? *Mendaces filij hominum in ſtateris.* Attendunt (inquit D. Bernard.) id quod eſt honoris, auctoritatis prouentus, celſitudinis iuriſdictionis, mitræ, pedi, virgæ, pectoralis, ſtipatorum, virtutes vero parteſque tanto muneri neceſſarias, vires, zelum, merita, nō perpendunt, quæ cuncta calix iſte requirit, vt ebibatur, eiuſque amaritudo ſorbeatur; vnde & ſeipſos miſerè hac inaudita decipiunt vanitate: *Vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Hæc illos obcæcat ambitio, ne res, vt decet appendant in ſtatera iuſta ac circinum tam directè componant quemadmodum Apoſtolus, dum diceret: *Ipſi in nobis nos metipſos metientes, & comparantes nos metipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriabimur.* Non illi viribus ſuis metiuntur dignitates, ſed ſua tantummodo ambitione: *In nobis noſmetipſos metientes*: appendunt honorem, prouentum, delicias, vnde & euaneſcunt. Elephas ſymbolum eſt ambitioſi. O quantum dorſo ſuo ſuſcipit onus, turrim ſuſtinet, qualem legimus ligneam, inſtar caſtri, ex qua triginta duo viri depugnabant: *Et Indus magiſter beſtiæ.* Quis tanto ferendo oneri vires miniſtrat Elephanti? honor; huius eſt enim appetentiſſimus: quia dum illi detegunt caput, dominum eum vocant, & coram eo genu flectunt quaſi adorantes: ad quodcumque ſe paratum oſtendit bellicum ſtratagema. O te elephantem ambi-

In pſal… Pſ. 61.
Sap. 6…
Iacob…
Serm… Cant.
2. Cor. 10.
1. Mach. cap. 6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ambitioſum honoris ſitientiſſimum? Num ferre vales tantæ pondus dignitatis? Num humeris tuis excipere potes curam vnius pagi mille animarum? ciuitatis decem millium, & Prouinciæ centum millium? *Poſſumus.* Attendunt enim honorem ac reuerentiam ſibi præſtitam, omnes ei caput ſuum aperire, Dominum appellare, ſe ſubmittere, genua flectere: his ſolummodo oculos intendunt, ad tale pondus ſuſcipiendum; & voce libera audio reſpondentes: *Poſſumus.* Attamen reſpondete mihi: num in Dei poteritis ſtricto iudicio rationem exactam dare animarum, iudicium hoc ſubire duriſſimum, de quo prima veritas: *Iudicium duriſſimū, his qui præſunt, fiet.* (Sap. 6.6.) Num reddere poteritis rationem damnorum, quæ in domo talis miniſtri contigerunt, & in baſilica mercatorum, & in tribunalibus, & in puella, & in copulata coniugio? *Poſſumus.* Satis liquet, vos huius neſcire ponderis grauitatem, ſicut nec hi duo Apoſtoli Chriſti calicis pondus & amaritudinem, qui admoto primis eorum labris Chriſti calice, nec pedibus ſubſiſtere, ſed nec vnâ horâ cū Chriſto vigilare potuerunt. Optimè monet D. Iacob: *Nolite plures magiſtri fieri fratres mei: ſcientes, quoniam maius iudicium ſumitis.* (Iacob 3.1.) Nomine Magiſtri veniunt Epiſcopi ac Prælati, quibus cōpetit alios docere. Conſiderate, (monet) quòd quantò ſublimius eſt magiſterium, maiorq́ue numerus, quas curandas ſuſcipitis, animarum, tantò creſcunt & altius, quas pro his reddere tenemini, rationes, duriuſq́ue Dei iudicium.

Ad perpendiculum occurrit hic D. Bern. contra eos, qui ſibi perſuadebant, ſe poſſe quemlibet oblatum calicem epotare, ac ſi inter manus inciderent tyrannorū, ſatis habere virīū, vt craticulam ſuſtineant Laurentij, leones D. Ignatij, plūbatas obſcuroſq́ue D. Vincentij carceres; D. Cypriani exilia, aliaque ſimilia tormenta, quibus ſi hæc proponerentur, ac quæreretur: *Poteſtis bibere calicem*, incunctanter reſponderent, & vt credunt veraciter: *Poſſumus.* O fratres dilectiſſimi ait Bern. Quam vos ipſos fallitis, & quàm longe inde abeſtis, vt operibus hoc impleatis quod tam liberaliter promiſſis addixeratis. Exponit, quæ grauiſſima pertulit pro Chriſti fide inuictus Martyr D. Clemens Pontifex tormenta, & ſibi proponens, quanta illâ pertulit patientiâ, quanta mentis alacritate, calicem hunc amariſſimum hauſerit, licet enim carnem ſuam vt ſuam diligeret, Deum tamen vt Dominū ſuum diligebat ardentiùs, vnde bene impenſam cenſebat vitam carnis perdere, ne animæ, Deique iacturam pateretur. Audite, precor, ipſum Bernard. *Dic quæſo, nobis, anima ſancta, quæ ſic corpus tuum ſupplicijs exponebas, obſecro diligebas illud an non? Vtique diligebam, inquit, nemo enim vnquam odio habuit carnem ſuam.* Diligebam ergo *eam, ſed parum diligebam, tanquam ancillam, & multo magis diligebam Dn̄m Deum; vtque probatio dilectionis eſſet operis exhibitio, libenter ipſam quoque pro eius gloria mortē corporis amplectebar.* (D. Bern. Ser. de S. Clemente.) Hinc in noſtram inuehitur D. Bern. puſillanimitatem. An eandem cum martyre gloriam prætenditis, idem concupiſcitis regnum, agitiſne quod ille pro illo egit, obtinendo? Quæ pro Chriſto flagella ſuſtinetis: quam bonorū iacturam? quæ exilia, quas mortes? Homo erat ſimilis nobis pelle, carne, & oſſibus hærēs pœnas, doloreſq́; ſentiebat, vt nos; ſi ſentimus hæc omnia totus perfuſus gaudio ſuſtinuit; vt gloriâ, quâ modo fruitur, frueretur: *Ecce beatus Clemēs homo erat ſimilis nobis paſſibilis, eadē circūdatus infirmitate, & carni ſuæ eodē vinculo naturalis affectionis inhærens.* Quo iure eo præſumis temerarius aſcēdere, dū ne vel paſſum quidē vſq; modo eius veſtigijs inhærēs poſuiſti animoſus nec ponere intendis? Eſtne tibi mens eiuſdem cum eo gloriæ fieri conſodalem? Attende num tibi ſit animus, vt & eiuſdem ſis pœnæ cum ipſo conſodalis. Audi quid tibi dicat iam martyrio afficiendus, tormenta perpeſſurus: *Poteſtis bibere calicem quē ego bibiturus ſum?* iam vos percipio; & illi & mihi reſpondentes: *Poſſumus:* Poſſumus quidem, ſed potentia non redigitur ad actum: iam enim tempora tranſierunt tyrannorum, qui pro Chriſti fide perimebant Chriſtianos: *Reſpondent aliqui: Poſſumus, ſi opportunitas non deeſſet, ſed tempus perſecutionis ceſſauit.* Verè, chariſſime, ſalua tua pace dixerim non tibi fidem adhibeo, parcis veritati, tibi ipſi hoc imponis.

Noſti Chriſti axioma, qui in minimo eſt infidelis, erit & in maiori, & qui ſe modicū attollere non poſſe confitetur, vt verum eſſe cenſet, ſibi vires ad tollendum medimnum deficere: *In minimis probate, quam viriliter in maiori certamine ſtare poſſitis.* (I. Patiētia neceſſaria Prælatis.) Quæ ſunt tibi vires? Dicis te ſi fferre nō poſſe vel vnius punctarum aciculæ, verbulum mordax; quatuor aſſium iacturam; video te vt leonem rugientem; eo quod alter tibi ſtomachum mouerit; vel ſi medio verbulo tibi defuerit, grauiter cōquereris. Domine, hoc perferre nequeo, nemo tantam poſſet ſuſtinere calumniā, & qui tantam inuictus diſſimulet iacturā nullus eſt. Hoccine verum eſt? Si vnicum verbulum inſtar punctura aciculæ; quo te proxi-

mus pupigit vel leuiter offendit; pro Chriſto te non poſſe perferre proteſtaris, quis mihi perſuadeat, te lancearum punctiones, gladios, macheras quibus te miles, te tortor aggreditur, poſſe ſuſtinere non perturbatum: *Quotidianæ ceditis punctioni acus, & mucroni vos arbitramini poſſe reſiſtere?* Si tibi pectus deficiat, ſi langueat animus, ad leuiſſima verbera, ad verba trepidet, quibus te diabolus impetit, per tibi inimicos, & aperto ore fatearis, te nec debere, nec poſſe talia animo ſuſtinere tranquillo, quid faſtuoſus elateris perferre te poſſe verbera duriſſima, flagra aſperrima, gladios acutiſſimos, ignes voraciſſimos? Si diſciplinam propriis inflictam manibus, non ſuſtines ad carnis tuæ mortificationem, & vt impoſſibile conquereris nudis decumbere tabulis, vna aut altera nocte: qui ferre poteris plumbatis atteri, ferreis vncinis excarnificari, quibus oſſa comminuebant, fruſtaque carnis extrahebant? Si perterritus hæreas ad ſenſuum tuorum vel minimam mortificationem, ſi frigeat animus ad bonorum iacturam, lucri detrimentum, linguæ à murmuratione refrœnationem, loci fugiendũ, vbi grauiſſima te ſemper vrget diaboli tentatio, cœnâ opipara abſtinendum, &c. Quomodo tibi vigebit animus ad famem, inopiam, ergaſtula, catenaſque perferendas? Si ad quatuor tibi à diabolo propoſitos denarios, te ipſum non contines, ſed ad oblatum honoris punctum animus ad illud floccipendendum langueſcat: quid rerum ageres propoſitis tibi ab Imperatoribus honoribus, diuitiis, magiſtratu, ſedibus primariis? *Si in huiuſmodi certamine periclitamur, ſi vix reſiſtimus ſi ſuccumbimus, quid in illo tam graui certamine faceremus: ſi iunceis fragilibus cedit infirmitas noſtra, quomodo telis reſiſtet?* Proprio te ore conuincit vates Hieremias: Audit vt opinor te multa iactantem, & ad grauiſſima quæque tibi propoſita dicentem: *Poſſumus*. Ita pro Chriſto patiar libens carceres, verbera, ſcuticas, crucem, exilia, mortem cum martyribus, ſi ſe mihi offerret occaſio; O te miſerum, quomodo tibi ipſi verba das: *Si cum peditibus currens laboraſti, quomodo poteris contendere cum equis.* Si præcurrere pedites non poſſis, qui pedetentim progrediuntur, quis tibi credet iactanti te cum equis poſſe contendere velocioribus. Tuam agnoſce infirmitatem, tuam appende miſeriam, recogita quid in duobus his Apoſtolis proponatur, quos delufit præſumptus nimis animus, qui propoſito ſibi à Chriſto calice paſſionis acerbiſſimo, quem ipſe bibiturus erat, reſpondent indubitanter *Poſſumus*, cum ita ſit, quod hora iam imminente paſſionis, eum vix à longè contuentes Chriſtum relinquant, huc illucque pauidi diffugiant, poſtmodum verò Spiritus S. gratia roborati, illum ebiberunt, implentes hanc Chriſti prædictionem: *Calicem quidem meum bibetis.* Hæc tibi eſt gratia poſtulanda, quæ tibi miniſtret animos, vires ſuggerat ipſis cruciatibus fortiores, cuiuſque dono adſcribetur, non tuæ puſillanimitati, quod pro Chriſto valueris dolores pœnaſque ſuſtinere grauiores.

Divvs Ber.

Hiere. c.12.5.

## § 23. Non eſt meum. *Chriſto non conuenit ſedes ſuas dare ſuperbis, in alios mutentur viros, vt dixit Saüli Samuel.*

*Calicem meum bibetis ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meũ dare vobis.* O cœlorum Domine, qua precor, ratione negas tuum eſſe illis dexteram vel ſiniſtram dare in regno tuo? Num te non illum eſſe credimus Dominũ, qui in his omnia potes? *Dominum gloriæ* te tuus vocat Apoſtolus, prædixerat Vates Euangelicus de te hoc elogiũ: *Voluntas Domini in manu eius dirigetur* dilectus quoq; tibi diſcipulus idẽ de te teſtatur: *Sciẽs Ieſus: quia omnia dedit ei Pater in manus?* quid moror? tu ipſe ais: *Omnia mihi tradita sũt à Patre meo.* An non tu ille qui manibus tuis tenes diadema à potiori iure quam Ieſus filius Ioſedech? Et ipſe nõ dixiſti: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio?* An idem in tuo non vales regno, quod in mundi regno diabolus? De illo ſic ipſe. *Cui volo, do illa:* Tu verò de tuo ſic ais: *Non eſt meum dare?* Cõmunis declaratio capit, quòd Chriſtus de ſe loquatur, vt homo eſt, inferior Patre, & ait D. Cyrill quod hoc reſponſo confundere voluerit ſuperbiam diſcipulorum ambitionem profunda ſua humilitate: *Ab inani gloria, & improba ambitione filios Zebedæi deterreret.*

Huius occaſione multa eaque præclara cõgerunt Sancti Patres. Sufficiat tibi vnicus D. Ambr. *Non ait ſolum dixi: Non eſt meum dare, ſed non eſt meum dare vobis, hoc eſt, Non ſibi poteſtatem deeſſe aſſerens, ſed meritum creaturis.* Lauro dignus conceptus, quem D. Aug ſui ingenij acumine proſecutus eſt, ex quo idem ſumpſit D. Remigius. Perpende, quòd non ſolum dicat, nõ eſt meum Dare, ſed addit: *Vobis. Qui eſtis vos? ſuperbi. Non eſt ergo meum dare vobis: nã Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiã.* ait D. Auguſt. Definite vos ipſi tales eſſe: Superbi tumetis? humilitate deprimimini: ambitioſi eſtis? eſtote mode-

1. Reg. 15.

Ephes.

Ephes. 11.

1. Cor.

Iſa.

Ioan.

Matt.

Ioan.

D. Cyr.

Lib.

Theoph.

D. Ambr.

Lib.

Tom.

D. Aug.

In pſ.

Tom.

moderati. Dictis obedite Samuelis, qui dũ Saü-
1.Reg.10.6. lem vngit in Regem, hoc illi ait: *Mutaberis in virum alium.* Eras agaſo, vſque modo iumenta curaſti, hæc tuæ manu dabantur cuſtodiæ; vt verò Regem agas, ſint aliæ tuæ oportet cogitationes, proinde verſus illam aſcende partem, & quibuſdam occurrens viris, *Mutaueris in virum alium.* Tum tibi manifeſte parebit, Regnum tibi deſtinari. Hoc quoque ſupereſt tibi agendum ô ſuperbe, ambitioſe, auare, luxurioſe fœnerator, vindictæ flagrans: vobis enim in regno ſuo
Ephes.5.5 Chriſtus nullum præparauit locum: *Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hereditatem in regno Chriſti, & Dei.* Hoc primum locatur fundamentum, hoc præ ceteris ſupponendum, te in virum alium transmutandum: proinde hortamur: *Deponere vos ſe-*
Ephes.4.22. *cundum priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.* Conformiter loquitur D. Paulus ijs quæ ipſi cõtigerunt qui vt Dei beneficia accipere mereretur, mutatus eſt in virum alterum: *Viuo ego, iam*
Gal.2.20. *non ego viuit vero in me Chriſtus.* Paule cœli regna concupiſcis? Concupiſco. Qualis es? Numquid ille blaſphemus? Ille Chriſti eiuſque Eccleſiæ ſanguineus perſecutor? Omnino talis erat. Et modo mutatus in virum alterũ: *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor &c.* Quaſi ſentire videtur D. Paulus, quòd ad eius pulſemus oſtiũ, ac interrogemus. Quis hic viuit? Reſpondet: *Viuo ego:* ſed quia liceret obijcere: ſi tu viuas, non eſt quod quid de Chriſto expectes, cum eius ſis & hoſtis & perſecutor. Reſpondet: *Iam non ego:* qui eram inimicus; ſed nũc ita Chriſti, vt ipſe in me, velut in domo ſua Dominus habitet proprietarius. Tu ſic loquere; tu ex eo qualis es, in eum, qualem te conuenit eſſe, transmuteris.

§.24. Indignati ſunt. *Non hoc te ſcandalizet, minimo in Dei ſeruo notare defectus, nullus enim ab his liber viuit.*

☞ 45 INdignati ſunt *autem decem de duobus fratribus* Sed irrationabiliter inquit D. Hier. in hac
D.Hier. Ep.116.ad Damaſc. ad fine. quippe vita, nemo morum integritate adeo viuit abſoluta, qui nõ aliquo labatur errore. Solũ Deum nouimus: in quẽ nulla cadit culpa; *Solus*
To.3. *Deus eſt in quem peccatum non cadit.* Hoc Sacra
Eccl.18.1. pagina ſatis clarè notificat: *Dominus ſolus iuſtificabitur, & manet inuictus rex in æternum.* Cæteri imperfectionibus laborant; nec aliud Dauid indicat his verbis: *Non iuſtificabitur in conſpectu* Pſ.142.2.
*tuo omnis viuens.* Quid ſignificat: *Omnis viuens?* *id eſt non Euangeliſta, non Apoſtolus, nõ Propheta.* Conſpice Apoſtolos alios ambitione turgidos, alios indignatione commotos, alios inuidiæ liuore tabeſcentes: *Vt doceamur in Sanctos quoque cadere poſſe inuidiam, & ſoli Deo puram clementiã relinqui filiorũ Zebedæi conſideremus exemplum &c.* Nulla ratione commoti ſtomachantur, nec tibi quoque ſuppetit ratio quã ſcandalizeris, ſeu perturberis, cum in Prælato ſeu ſacerdote, ſeu Religioſo quoſdam aduerteris defectus veniales: nec ob hoc eis debitus detrahẽdus eſt cultus, aut neganda reuerentia; quantumlibet enim inuigilet hortulanus, laboretque indefeſſus, hinc inde pullulant vrtica lappa, ſpina, aliæque herbæ inutiles, vnde ſemper habet, quod euellat, deſtruat, reſcindat, eradicet. Licet enim optimè arbor ſylueſtris inſeratur, & priori ſtipiti fixius coaluerit clauola quã fructum producit ſuauiſſimum, & regali menſa digniſſimum, non eſt quod admiremur, ſi ex radice ſtolones pampini ſylueſtres ac ſpurij enaſcantur: in terra quippe arbor maledicta plantata fructificat; proinde eiuſdem communicat maledictionem,
de qua dicitur: *Maledicta terra in opere tuo: ſpi-* Gen.3.17.
*nas & tribulos germinabit tibi.* Hoc eſt in ipſis Sanctis, quibus inſerta eſt gratia Dei, imò ipſe Chriſtus, clauola diuina: hoc namque rogabat
Apoſtolus: *Chriſtum habitare per fidem in cor-* Ephes.3.
*dibus veſtris.* Ea de cauſa ipſum nominauit A- 17.
poſtolus *Inſitum verbum.* Nullus adeo præ- Iacob c.1.
fulgens ſanctitate, Chriſto excepto, eiuſque pu- 21.
riſſima Matre ac Virgine, quem non deceat hoc orare: *Dimitte nobis debita noſtra*, vt teſtatur D. Ioannes, & latius proſequitur D. Auguſtin. oſtendens quòd hoc non ex ſola dixerit humilitate, ſed ex rei veritate. Non ob hoc ſeruus Dei in tuum incidat iudicium, ſicut nec ob has deſinit eſſe ſanctus, imperfectiones, ſine quibus (teſte D. Auguſt.) hæc præſens vita non tranſigitur.

Notat D. Cyrill. illud Domini de leproſo Li.11.de adorat.
præceptum, non ob id hominem immundum I.
poſſe iudicari: ſi caſu illi vnus aut alter capillus Allegoria
de capite decidat, ſi ex alia parte integra gaudeat ſalute operibuſque fortioribus ſtrenuus incumbat, quibus animam teſtetur ſuam eſſe va-
letudinem: *Vir de cuius capite capilli fluũt, caluus* Leu.13.40
*& mundus eſt.* Te Deus cõſeruet, vt nulla ſit pu- Li.8.mor.
tredo fiſtula nulla nullũ fœtens vulnus. Quin- c.10. &
imo notat D. Greg. ex Diuino procedere conſi- li.3. dial.
lio, in electis ſuis quoſdã permittere leuiſſimos c.14.in fine.

 deſe-

defectus, ſeu infirmitates, ex quibus anſam capiant humilitatis, ne dum ſe vident cœleſtibus delibutos fauoribus, doniſque exaltatos, in ſuperbiam altiùs erigantur. Hoc quoque ex eius opinione, indicauit Iob, dum de præclariſſi-
Iob 28. 25 mis agit Diuinæ ſapientiæ operibus: *Fecit ventis pondus.* Notum eſt in S. Scripturæ libris ſæpius Sanctos Dei ventos nominari ob in Dei famulatu celerrimam promptitudinem. De
Pſ. 103. 3. quibus canit Dauid: *Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Ventis huiuſmodi fecit Deus pondus: ne diuinis exaltati muneribus ſuper ſe inaniter
D. Greg. Lib. 10. mor. c. 4. rapiantur: *Ventis pondus facere eſt, conceſſam hic electis de virtutibus gloriam permixta infirmitate temperare.* Illi ſunt Chananæi, Pherezæi aliiſque gentium populi, qui permixtim Iſraelitis cohabitabant, vt continuus Dei populum vigilis
D. Greg. Lib. 3. dial. c. 14. excitarent ad prœlium: *Quia nonnumquam etiam, quibus magna dona tribuit, parua quædam reprehenſibilia relinquit, vt ſemper habeant, contra quod bellum gerant, & deuictis magnis hoſtibus, mentem non erigant, quando aduerſarij minimi adhuc fatigant.* Hoc de ſeipſo fatetur Apoſtolus qui pondus illud carnis ſuæ moleſtum adeo ſibi ac graue ſentiebat quo durè nimis torquebatur: quinimo ipſe Deus ſuo hæc diſpenſari conſiliô declarat, vt inter tot illuſtres gratias, haberet, quo ſe profundiùs humiliaret.
2. Cor. 12. 7. Audio D. Paul de ſeipſo ſic teſtantem: *Ne magnitudo reuelationum extollat me datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Deum vero deprecatus, vt hac ſe liberaret tentatione, audit: *Virtus in infirmitate perficitur.* Et hoc ſibi expedire, & humilitatis eſſe materiam, quam Chriſti vocat virtutem: ipſe quippe illam docuit Magiſter primarius: *Vt inhabitet in me virtus Chriſti.*

II. Exemplum. Lib. de Sanctor. Patrum hiſtorijs l. 11. 26. Memoratu digniſſimam habeo, inter vitas Sanctorum Græcorum S. vitam Simeonis, quem quia in columna altiſſima degebat, Græci vocarunt Stylitem: eius acta mirabilia ſcripſit D. Theodoretus Epiſcopus Cyprenſis vir laudatus à concilio Chalcedonenſi vt teſtis ocularis: quem primò ſic titulo honorat: *Magnum illud orbis terrarum miraculum.* Verò verius eſt, tam eximiam eius fuiſſe ſanctitatem, donaque Dei quibus affluebat, eminentia, vt iis ipſis viderentur incredibilia ſpectatoribus. Ea omnia per totius eius vitæ decurſum enumerat, quibus totum in admirationem rapuit vniuerſum. Tandem columnam aſcendit altitudine triginta ſex cubitorum: in ea pedes ſtetit, noctuque diuque feruentiſſimo ſole, frigore, caloribus, pluribus annis tantâ abſtinentiâ, quæ fidem penè omnem excederet, extaſes patiebatur admirandas. Ex hac quaſi ex cathedra concionabatur ad populum, benedicebat, aduenientes hortabatur, quorum erat numerus infinitus, qui ex omnibus mundi partibus præſertim ex Hiſpania eò confluebant tanti miraculi ſpectatores. Ex illa columna ſuo curabat imperio ac benedictione, quaſlibet quorumlibet aduentantium infirmitates: innumeros ad fidem adduxit Gentiles, eratque cunctis portentum inauditum. [Vide Tertul. Lom.]
Dei conſilio vulnere in pede affligebatur, quod ſanie perpetuâ fluebat, quaſi eius eſſet ſcaturigo ſeu fons vnde plures vermes enaſcebantur. Accurrit inter alios Princeps quidam vir nobiliſſimus, qui viſis iis, quæ famam ſuperabant, credidit impoſſibile eum eſſe hominem, ſed Angelum aliquem in corpore phantaſtico apparentem, vnde propius accedens, interrogauit. Dic mihi (precor) ſerue Dei ſanctiſſime: qui talis cum ſis, ſynceram mihi dices veritatem: *Es ne homo, an incorporea natura?* Aliud non reſpondit quàm, erigite ſcalas; & huc ad me ô Princeps, aſcende: Subit Princeps ſcalas, cui pedis demôſtret apertum vulnus, ſaniem, vermeſque prorumpentes: Intuere Princeps, hoc tibi vulnus quis ſum, teſtabitur, homo ſcilicet miſerabilis, putredo, ſanies, vermium colluuies; & hæc in pede corrupto quæ me deprimit, reſtringit, & alligat, ne ſurſum ſuperbus ferar, ne inſoleſcã, ne quando ſupra humanum intumeſcam. En tibi cur tales Deus permittat in electis ſuis miſerias, defectus, infirmitates. Ea quoque de cauſa paſſus eſt Apoſtolos in defectus labi leuiores, vt inde materiam ſumerent humilitatis, dum ſe tam infirmos lugent, miſeriiſque negare non poſſunt eſſe ſe circumcinctos. Hoc quoque attende, quod decem illi Apoſtoli, qui his duobus indignabantur, illi ipſi in eoſdem cum aliis inciderint defectus: cum enim & hi & illi Chriſtum audirent reſpondentem, inter illos ilicò ſpiritus quidam ambitionis, inuidiæ, ſuperbiæ efferbuit: *Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.* O Sanctiſſimi Saluatoris aſſeclæ, num bene commouemini contra duorum illorum fratrum ambitionem, dum vos ipſi eadem inflati, & ſtatu primario orta contentione prœliamini, in tantum, vt neceſſe fuerit, manum ſuam adhiberet Chriſtus, doceretque quàm longè à ſcopo aberraretis? Eſt hoc maximè familiare, vt ſæpe numero, grauiùs murmuret ille & in proximi minimos defectus amarior ferueat reprehenſor, Luc. 22. 24.

qui

qui iiſdem, imò ſæpe turpioribus inquinatur. Omnibus cœleſtis accurrit Magiſter, & his & illis ſalutaria dat præcepta; quòd in regno ſuo ſedem acquirat primariam, qui ſe cæteris reddit inferiorem; omnibus autem ſe exemplum proponit humilitatis, cæterarumque virtutum, quas imitentur: ipſe, qui dedit animam ſuam redemptionem pro multis, vt ex ea gratiam in hac vita, & in altera gloriam aſſequamur æuiternam. Amen.

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ DECIMÆSEXTÆ SEQVENTIS.

NOSTRI eſt intentio Euangelij, hiſtoriæ huius narratione nobis oſtendere, quod verbis poſtmodum dixit D. Ioannes, quod ille qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & pauperi neceſſitatem habenti liberalis non ſuccurrerit, ſe ſciat eſſe condemnandum. *a.* Quocirca litem hic format Chriſtus, de diuite epu- *a* §.1.2.
lone, ſuis inſtructam articulis, accuratius multò, quam vnquam potuerint Bartolus, & Baldus. Primò ſupponit, vt maiorem ſyllogiſmi propoſitionem: Omnis qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, egeno tenetur ſuccurrere pauperi. *b.* Adiungit minorem, atqui hic diues erat, & mundi *b* §.3.4.5.
ſubſtantia ad luxum opulentus. *c.* Tertium addit. Quod fratrem ſuum viderit 6.7.
neceſſitatem habere, ſed nec ei viſcera aperuerit miſericordiæ. *d.* Hinc eius col- *c* §.8.9.
ligit damnationis ſententiam, velut vltimam concluſionem; quæ mandabatur exe- 10.11.12.
cutioni, ambobus morientibus: pauperem enim lætantes Angeli in ſinum Abrahæ *d* §.13.14
detulerunt: diues autem ſepultus eſt in inferno condemnatus, *e.* Infauſta ſepul- *e* §.15.16
tura *f.* Aquæ guttulam ab Abraham poſtulanti, reſpondet ille, ſe neutiquam illi con- *f* §.17.27.
ceſſurum; & iuſtæ eius damnationis pauperiſque æternæ Lazari beatitudinis cau- 19.
ſam declarat.

§. 1. *Tenentur diuites dare eleemoſynam; quod ſi non dederint, damnabuntur, vt rectè Chriſtus probat hac hiſtoria iis, qui ſuam doctrinam explodebant.*

§. 2. *Huius diuitis ſupplicium ſit ipſis exemplo diuitibus, vt pœna Caini.*

§. 3. *Vult Deus, vt diues ſubueniat pauperi, vt cœlum terræ, & ſtomachus corporis partibus.*

§. 4. *Sunt diuitiæ aquæ ciſterna, illis diues vtatur, ſed fontes illas faciat pauperibus.*

§. 5. *Confundit Deus diuitem, non facientem eleemoſynam, vt Dominus ſuum œconomum.*

§. 6. *Argumentum admirabile nobis proponit D. Ioannes, quod diues, qui proximi non miſeretur quem videt inopia laborantem, Deum non amet.*

§. 7. *Se Deus exhibet in paupere, in quo tuam erga illum poſsis operibus probare dilectionem.*

§. 8. Homo quidam erat diues. *Manifeſtat Dominus, diuitem illum fuiſſe clâcam peccatorum.*

§. 9. Diues. *Ex ſe peccatum non eſt, eſſe diuitem,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN